



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...


Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Quartus Annus Chr. 1619. Soc.
80.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ
SOCIETATIS JESU
PARTIS SEXTÆ
LIBER QUARTUS

ANNUS CHR. 1619. SOC. 80.

1.
RES ROMANÆ,
Franciscus
Xaverius Beatorum
catalogo
adscribitur.



2.
P. Marcus Antonius
Constantius Senensem
diocesim per-
currit cum Ar-
chiepiscopo.

NUM sæculi undevigesimum, de quo scribere aggredimur, merito inter auspiciatissimos, ob concessum Francisco Xaverio honorem coelitem, Societas censet. Rem apud nos optatissimam, ordini nostro præclaram, & viro sanctissimo omnium fere gentium suffragio debitam, perfecit Pontifex Paulus V. viii. Cal. Novembres, quo die Xaverium decoravit appellatione Beati. Ejus tamen cultum ita circumscriptit, ut post illum diem Xaverius officio, & sacrae liturgiæ ritu coli posset ab hominibus Societatis ubique terrarum, a cæteris vero Christianis in India tantum, & in castello Xaverio, unde natales habuit, & generis nomen accepit. Initium novi cultus est Romæ factum eodem anno, non tam pompa & splendore apparatus (quamquam nec in hoc genere quidquam defuit), quam pietate & concursu civium, qui die Xaverii anniversaria ex cunctis ordinibus frequentissimi affuerunt in Farnesiana Professorum-basilica, ut novos beati viri honores celebrarent. Sed nihil æque celebritatem illustravit, ac Mutius Generalis. Progressus enim ad concionem, eruditam orationem de Xaverii laudibus recitavit, laudante oratoris eloquentiam populo Romano, & laborem illum in summo præside Societatis admirante. Dum sic Indorum Apostolo honor tribuebatur Romæ, non deerant in provincia indefessi operarii, qui res ejus gestas, laboresque apostolicos æmulari studerent. Plures eodem anno susceptæ sunt evangelicæ excursiones, quarum fructus late pervasit, tum ad urbes populosque Pontificiæ ditionis, tum etiam ad Hetruscos, qui intra fines Romanæ provinciæ continentur. Ut de una tantum in specimen cæterarum dicam, P. Marcus Antonius Constantius, aliusque Sacerdos Societatis, cujus nomen litteræ reticent, Senensem Archidiocesim lustraverunt cum Archiepiscopo Alexandro Petruccio, & quocunque itum est, magnos animorum motus, magnum pœnitentiæ sensum, & vix credibile pietatis studium excitaverunt. Primas tamen in eo labore partes tulit Antistes ipse Petruccius. Nimirum prisce moris Episcopus, non solum omnem illam circuitiorem suis obire pedibus voluit, verum etiam ad corrigendos hominum mores multum voce, in-

industria, auctoritate, & exemplo vitæ profuit. Interest porro scire, illius peregrinationis quæ fuerit ratio. Præsul nulla re gravis erat hospitibus. Cubiculum accipiebat a Parochis simplex atque inornatum, sine lecto, sine alia lautiore suppellectili, una contentus sella, abaco, & scamno precatorio. In mensa præter unum ferculum, & id quidem facile paratu, nihil apponi sibi patiebatur. Quocumque venturus esset, præibant uno alterove die nostri, prima divini verbi semina jaciebant, omnium animos ad recipiendum rite pastorem amantissimum præparabant. Illud curabant in primis, ut venienti populus obviam supplicationis ritu procederet sub vexillo crucis, nudis pedibus, & composito ad modestiam agmine, sic ut specie ipsa appareret, sanctum esse ministerium quo Præsulungebatur, nec de terrenis negotiis acturum accedere, sed de cœlestibus. Ille ut advenerat, recta tendebat, deducente clero, ac populo, ad curialem aedem; nec utcumque itinere defatigatus, & sudore madidus, ad hospitium ante divertebat, quam concioni, aliisque piis exercitationibus, quæ statim a Patribus peragebantur, interfuisset. Quo præstructo velut aditu ad sacram visitationem, suum agnoscebat deinde ac pascebat gregem, dissidia componebat, pravas consuetudines extirpabat; certantibusque vicissim per sacra ministeria Patribus, ut optimi Præsulis cogitata perficerent, omnium ubique animi ad studia pietatis recalescebant. Hæc paulo copiosius commemorata volui, non tam quia nonnullæ fuerunt nostrorum in tam fructuosa excursionem partes, quam quia æquum visum est interserere his annalibus memoriam viri clarissimi, & nostri ordinis studiosissimi Alexandri Petrucci. Qui quidem anno post hæc quarto deliberatum habebat abdicare se infulis, ut nomen Societati daret; fecissetque plane, si quam enixe petiit, tam facile facultatem exequendi propositi impetrare potuisset. Sed nullis vinci precibus potuit summus Pontifex, ut ejus votis annueret.

Perfunctus ea peregrinatione P. Constantius, ad montem Politianum transit, quo oppido per sacram missionem exulto, quatuor finitimas dioceses, Clusinam, Pientinam, Montalcinensem, & Civitatis Plebanæ cum sacro ministerio peragravit, frugem ubique legens uberrimam, de qua tamen plura non dicam, ne prolixior fiam. Postremo Lucam ab ejus urbis Episcopo Alexandro Guidiccione ducitur. Jamdiu hic Præsul, ob controversias nescio quas inter sacram civilemque potestatem exortas, aberat a sua sede, abfuturus, ut plerique rebantur, quamdiu viveret: adeo videbatur arduum inveteratæ discordiæ causas excindere. At rem prope desperatam cum suscepisset tractandam Cardinalis Bellarminus, tanti fuit hujus viri apud Senatum Lucensem auctoritas, ut ejus gratia decretum plures ante annos factum de Guidiccione nunquam amplius recipiendo Senatus abrogaverit, totamque illam causam arbitrio Bellarmini ipsius, & Odoardi Cardinalis Farnesii disceptandam permiserit: quibus deum æquas condiciones ferentibus Lucenses non inviti acquieverunt, Antistitem ultro ad se invitaverunt, & reducem post annos amplius sexdecim in suam sedem restituerunt. Guidiccioneus ergo, prius quam proficisceretur Lucam, duos Romæ poposcit a Mutio Patres evangelici operis adjuutores, habuitque quem dixi P. Constantium, atque alium, cujus nomen intercidit. Dies ipsos quinquaginta sublitere Lucæ Patres, eoque spatio labores sui muneris nunquam intermiserunt. Conciones habebant quotidie duas in aede urbis primaria. Quod reliquum erat diei, audiendis poenitentibus fere totum impendebant, soliti e suggestu recta adire poenitentiae tribunal, atque hinc rursus ad suggestum recurrere. Neque vero post occasum solis licebat otiosis esse. Aderant ad multam usque noctem viri nobiles, alii ut consilium peterent, alii ut onera conscientiae deponerent. Omnes per otium audiebantur. In tanta assiduitate laborum mira perfundebantur voluptate Patres, quod viderent respondere operi fructum, neque solum utilem, verum etiam gratum ac jucundum accidere nobilissimæ civitati laborem suum. Quamquam enim initio male quosdam habuisset, fuisse Lucam adductos ab Episcopo Patres; iidem tamen

3.
Insignis pietas
Alexandri Petrucci
Archiepiscopi.

4.
Ejusdem propositum de in-
cenda Societate,
sed sine successu.

5.
Missiones variæ
P. Marci Antonii
Constantii.

6.
Componitur
gravis controversia
inter Lucenses, &
eorum Episcopum.

7.
Qui Lucam adducit
duos de Societate. Eorum
labores, & res gestæ
ibi.

8.
Lucensium præclara opinio
de Patribus.

9.
Insignis contumacia cujusdam Parochi, ejusque conversio.

10.
RES NEAPOLITANÆ.

Mors Isabellæ Roboræ, ejusque in societatem merita.

11.
Ejusdem virtutes, & vite sanctitas eximia.

mirati postea vitæ institutum adeo laboriosum atque utile, & fructus magnitudine delectati, bene secum ac præclare factum agebant, quod virorum talium consuetudine frui possent. Quidam etiam optabant, ut Luca, si qua fieri posset, Societas domicilium figeret. Lustrata ad eum modum urbe, itum est cum Episcopo ad curias dioeceseos ex magna parte montanas. Multa in iis ignorantia religionis, multæ morum detectæ labe: remedium utrique malo adhibitum. Inventus Parochus, qui inveteratas & notas gerens cum suis Presbyteris inimicitias, etiamsi periculose ægrotaret, nullis adduci rationibus poterat, ut cum illis in gratiam rediret. Res summæ apud omnes offensionis deferretur ad Episcopum. Hic Patribus negotium committit. Adeunt decumbentem Patres, hortantur, rogant, sed nullo effectu. Obfirmaverat miser, quo mentis habitu vixerat, eodem mori. Patres, ubi vident hominem molliter agendo non flecti, novum sermonem exorsî, divini severitatem judicîi, æternos ignes, & quæ sunt atrociora proponunt: nec frustra. Fregit metus, quem cætera non tetigerant. Tremefactus oratione, faciendamque deditionem ratus, vocari ad se Presbyteros curat, quibus antea fuerat infensus: in gratiam recipit complectiturque singulos: sibi ut ignoscant, & a Deo veniam exorent, per Christi charitatem rogat, obtestaturque. Homo demum paulo ante contumax, & vix non communi omnium judicio damnatus, cum optima spe vitæ melioris decedit.

Dum hæc in provincia Romana gerebantur, Neapoli diem clausit extremum Isabella Feltria Roborea, Bisiniani Principis vidua, spectatissima virtutis, & notæ in nostrum ordinem beneficentiæ femina, cujus hoc loco meminisse pietatis & officii est. Etenim orbata jampridem filio unico, nostros homines in ejus locum adoptaverat, nec alio deinceps illos quam filiorum appellans nomine, demum testamento condito hæredes ex asse scripsit. Præter hoc ultimum & insigne beneficium, alia multa debet illi Societas, nec vero levia. Ejus liberalitate tironum domus Romana censu dotata est opulento, & multo quam esset antea amplior facta. Basilicam, domumque Professorum Neapolitanam, regium plane opus a Roberta Carafa ex Matalaunensium ducibus inchoatum, perfecit ipsa, imo verius ex toto exædificavit, merito proinde fundatricis titulum, & jus consecuta. Erecta fuerat Neapoli altera Professorum domus in foro mercatorio. Isabella magnum illi donavit pecuniæ numerum ea conditione, ut, si Præposito generali placeret (quod re ipsa placuit) domum in collegium mutari, novo collegio in dotem transcriberetur. Mitto alia leviora, quæ si velim singillatim recensere, nimius sim. Quæ tamen commemoravi satis superque sunt, ut vigere apud nos immortaliter debeat memoria matronæ tam excellentis, cujus & benevola semper extitit in nostrum ordinem voluntas, & vita omnis pietate christiana mirum in modum eluxit. Per annos amplius triginta usæ conscientiæ arbitro P. Vincentio Maggio, non est dictu facile quales ejus ductu & institutione progressus in sanctitate fecerit, ut exercita, ut exulta fuerit. Omni virtutum genere spectabatur, sed patientia in primis. Ejus generis femina, cui pater Guidobaldus Urbini dux, mater Victoria Farnesina, Octavii Parmensium ducis soror, multa quotidie domi patiebatur a viro Bisiniani Principe, cui se minus acceptam, ne dicam odiosam esse sentiebat. His adeo assueverat, ut ad quascunque injurias vocem nullam mitteret, non dicam impatientis animi, sed ne dolentis quidem. Cum filium suscepisset unicum, eumque jam ad annum ætatis decimum quintum perduxisset (Francisco Theodoro nomen erat adolescenti), repente hoc solatio tristissima solitudinis suæ unico, & summo ærumnosa parens orbata est. Ea sane re nihil accidere illi gravius, nihil acerbius poterat. Erat quippe Franciscus Theodorus matri carissimus, non tam quia filius, atque unicus, quam quod egregiis ornatus corporis animique dotibus, præclara forma, ingenuus, innocens, ac longe supra ætatem prudens; pius autem in tantum, ut typis edita fuerit ejus vita, in qua supra communem usum plurima, aliqua etiam supra naturæ ordinem ab eo gesta referuntur. Quæ cum respiceret Isabella, ut erat nuptarum miserrima

pro-

propter virum, ita se matrum fortunatissimam propter filium prædicabat. Eum tamen Deo, à quo acceperat, reposcenti mulier vere fortis reddidit sine questu: & quamvis accepto vulnere graviter saucia, dolorem acerbissimum tulit æquo animo, ac minime perturbato; orbitatem leniens suam unico, maximoque bonarum mentium solatio, patientia. Quin audita est sæpe cum diceret, bene sibi esse, quod tali sublato filio nihil haberet reliqui in hac vita, cujus causa vita ipsa esset sibi magnopere expetenda. Neque tamen deinceps ab angoribus vel animi, vel corporis otium habuit ante hunc annum, quo demum vitæ mortalis ærumnas cum æternæ gaudiis commutavit. Testamento caverat, ne qua efferreretur pompa: sed nostri magis quid ei deberent, quam quid ipsa mandasset attendentes, apparatu quam potuit magnificentissimo feminæ tam bene de se meritæ iusta solverunt.

Paucis ante mensibus decefferat in collegio Neapolitano Antonius Loffredus, ex Principibus Durazzani ortus, magnis & hic meritis erga Societatem illustribus, nec minori clarus virtute. Is cum & patre orbatus esset, & fratrem haberet nullum, simul atque annum attigit secundum supra vigesimum, ea prorsus ætate quæ prior in vitium est, de capeffendo religiosæ vitæ statu deliberavit; frustraque obnitente matre Portia Caracciola Societatem ingressus, eidem mox patrimonium, quod habebat satis lautum, addixit. Ea porro mente se Societati devoverat, ut majorum arbitrio relinqueret, utrum daret operam litteris, an magis inter fratres rei domesticæ adjutores mereret infimis ministeriis addictus. Quin exacto tirocinio Romam cum venisset, ut negotia quædam cum Præposito Generali communicaret, id ab eo summis contendit precibus, ut se sineret in humili illo gradu abjectoque vitam agere; quod tamen non impetravit. Ita Philosophiam audire cœperat Neapoli: sed in cursu medio, quem satis feliciter peragebat, subita vi morbi prostratus, ad extrema deducitur. Instantis lethi nuncium adeo non exhorruit, ut imo diserte profiteretur, nullo se tangi desiderio vitæ longioris. Gratias egit Societati quod immerentem recepisset, quod in ea moreretur sibi gratulatus est. Tum perceptis religiosissime supremis morientium sacris, magno omnium mœrore occubuit, annum agens ætatis suæ xxvi. Sed inter mœrorem & luctum non defuerunt Neapoli meliora. Ante septennium nova Societati ædes sacra ædificari cœperat apud forum mercatus, eratque nunc, tum privatis multorum largitionibus, tum præsertim beneficentia illustribus fodalitii, cui *Mons misericordiæ* nomen, fere ex omni parte absoluta, sic ut aperienda, & publicanda videretur. Aperta est cum ingenti lætitia & concursu populi Neapolitani, qui in ea parte civitatis frequentissimus habitat. Primam templi initiationem peregit pro Archiepiscopo Cardinali, quem morbus lecto afflixerat, Episcopus ab eo subrogatus: post meridiem vero sacra cœlitum ipsa in novam ædem solemnibus supplicatione illata fuerunt. Hæc Neapoli. Intra provinciam data est eodem anno sedes Societati Adamantiæ, quæ nunc dicitur Amanthea. Brutiorum id oppidum est in Calabria citeriori. Fulvius Viridianus indidem civis, & eximius sui temporis medicus, post impensam per annos quadraginta operam sedulam, & omnino gratuitam nostris Neapoli, cum multum pecuniæ congesisset, nec heredem proximæ consanguinitatis haberet, illud faciendum sibi statuebat, ut egregium erga nos animum insigni atque ultimo documento testaretur, simulque sua bona in utilitatem popularium suorum converteret. Hac mente censum annum Societati transcripsit ea conditione, ut duæ tertiæ partes cederent in dotem collegii Amantheæ fundandi, pars reliqua collegio Aquilano attribueretur. Admisit Fulvii donationem Mutius, eumque confecto diplomate recepit in fundatorem collegii Amantheani, & de Aquilano insigniter meritum pronuntiavit.

Provinciæ Siculæ duo de novo collegia hic annus addidit, Ennæ unum, alterum Nari. Utriusque nos initia paucis exequemur. Ennam prisca dixerunt, quæ nunc vulgo Castrum Joannis nominatur, urbem in valle Netina sitam, ubertate soli, opibus, frequentiaque incolarum spectandam, & olim templo cultaque

12.
Obitus, & Elogium Antonii Loffredi.

13.
Novum societatis templum aperitur Neapoli.

14.
Initia Collegii Amantheani.

15.
RES PROVINCIAE SICULÆ.
Fundatur Collegium Ennesense.

que Ceresis celeberrimam. Cives operam Societatis per intervalla temporum experti, præclare de patria meritum putabant, si quis in eam nostros induceret, & in domicilio stabili collocaret. Id præ cæteris persuasum habebat Antonius Rotundus, vir pro loco copiosus. Filios proinde commonebat identidem, ut si virili sobole caruissent, Societatis collegium Ennæ conderent. Filii, quos reliquit post se duos, paulo post ejus mortem sine liberis decessere: eorum vero ultimus Franciscus dum moriebatur, paternorum memor consiliorum; licet hæredem ex asse institueret matrem Constantiam, ei tamen hanc legem imposuit, ut certam pecuniæ summam fundando Ennæ collegio deberet impendere. Constata, quæ filium in diligenda Societate superaret, testatoris voluntatem non implere solum, sed vincere studens, totam operi hæreditatem applicat, ipsam ubi habitabat domum Societati condonat, fundati demum collegii titulum sibi cum præmortuo filio communem facit. Hæc primordia Ennensis collegii fuerunt. Narus, oppidum Siciliae in valle Mazarae, Societatem enixe petierat jam inde ab anno sæculi decimo, P. Gasparis Parannisi civis sui, & operarii apostolici concionibus inflammata: sed quod eo tempore minus licuerat, confectum est anno labente. Cum nondum esset in promptu vectigal idoneum, Vincentius Bonincontrus e sacro Prædicatorum ordine Episcopus Agrigentinus (ad quam diocesim Narus pertinet), & Magistratus urbis, ille litteris, hic & litteris, & legatis hæc una causa missis, agebant vehementer cum provinciæ præposito P. Carolo Mastrillo, ut certam sociorum manum Nari collocatam vellet, si nondum ut in collegio stabili, at saltem ut in hospicio longioris temporis, donec apti constituti proventus essent. Domum in qua interim degerent, & alimenta offerebat Sacerdos nobilis Antonius Bandinus. Non licuit votis tam benevolis, tam communibus diu obsistere. Dati itaque sunt Narensis Patres quatuor, mansuri apud eos ut in una ex illis domibus, quas nos *Residentias* dicimus. At vix annum ibi egerant, cum Antonius Luchesi, genere & opibus Narensum facile princeps, datis ad Mutium litteris valde rogabat, vellet juberet residentiam illam in collegium verti. Civitatem annua Patrum opera sic esse affectam agebat, ut quocumque fortunarum dispendio condendum putaret collegium Societatis. Se quidem certam pecuniæ summam in eum usum seposuisse: ex aliorum collationibus aliam esse summam confectam minime contemnendam: Bandinum, cujus hætenus beneficentia vixissent Patres, vectigal annuum centum aureorum assignasse: si quid addi oporteret, suppleturam ex ære publico civitatem: se demum pro iis, qui multa in rem collegii promitterent, vadem, ac fidejussorem fore. His rebus cognitis Mutius, actis prolixè grãtis Luchesi pro tam eximia erga nos voluntate, negotium dat P. Pompilio Lambertengo, qui Mastrillo in provinciæ præfectura successerat, ut siquidem ad rationem collegii nihil deesse viderit, morem gerat amantiſsimæ civitati, & de collegio transigat ex juris formula. Quo factò Narenſes circa anni finem, præter quatuor quos habuerant initio operarios, ludimagistros etiam, & scholas latinitatis habuerunt. Ita quæ prius fuerat residentia, nomen collegii induit: Fundatoris vero titulus, & honor, assentientibus cæteris bene de collegio meritis, Luchesi delatus est. Sub idem tempus etiam Agrigentini, scriptis communi nomine ad Præpositum Generalem litteris, stationem Societatis in spem futuri collegii postulabant. Obfuit paucitas sociorum, ne impetrarent. Tamen ad eorum postulata respondit officiosè Mutius, curæ fore Præpositis provincialibus, ut Agrigentum excurrerent crebro socii, nulla que unquam re tam illustri, ac benevolæ civitati deesset.

Crescente in hunc modum provincia Sicula, desideratus est ille provinciæ quasi parens, P. Joannes Baptista Carminata, qui vir, sive virtutum splendorem, sive rerum gestarum magnitudinem spectes, merito inter præcipua Societatis lumina est adnumerandus. Adolescens cum esset, & adhuc inter tirones versaretur, nescio quâ seu levitate animi, seu vitæ solutioris cupiditate, deserat a Societate. Sed mox ad eam regressus, maculam inconstantia eluit pietatis

16.
Nari residentia prius, deinde Collegium constituitur.

17.
Agrigentini societatem expolent, sed sine effectu.

18.
Mors, & Elogium P. Joannis Baptista Carminata.

tatis ardore summo, a quo deinceps excidit nunquam: pietatis autem pars præcipua fuit vita ad omnes leges instituti nostri prorsus exacta, quam ultra annos octoginta produxit. Ambigas deinde utrum dicendi, an regendi arte præstantior fuerit. Utraque profecto re Carminata inter præstantissimos ætatis suæ floruit. Provincias Siculam, Romanam, Venetam, Polonam cum incredibili laude administravit, tantam ubique habens opinionem virtutis atque prudentiæ, ut eum certatim expeterent præfecturæ, sibi vero pulcherrimum quisque duceret tali subesse moderatori. Pari approbatione Claudio Aquavivæ Generali pro Italicis provinciis Assistentis fuit Romæ, & ex illa orbis terrarum specula regimen Societatis universæ consilio juvit. Tot inter curas munus concionandi, per annos prope sexaginta, numquam intermisit: quo in exercendo munere, ut erat orator acer ac vehemens, tantos ciere solebat animorum motus, ut Angelus potius quam homo, aut certe unus aliquis ex Apostolis in dicendo videretur. Primus omnium Romæ per quadragesimam jejuniorum concionum cursum peregit in templo Professorum, quod ante ipsum fecerat nemo. Neapoli, præter alios eloquentiæ suæ fructus, Bernardinum Realinum ad Deum primo, deinde etiam ad Societatem traxit. In collegio Romano cum beato juvene Aloysio Gonzaga familiaritatem intimam habuit, eidem morienti affuit, virtutum, quæ erant in eo summæ, testis oculatus, cognitor, atque æmulator eximius fuit. Carminatam viri principes ob sanctitatis, & prudentiæ famam in honore habebant longe maximo: Cardinalis vero Bellarminus tanti faciebat, ut animi sui recessus intimos illi aperire, eundem in rebus dubiis quasi magistrum audire consueverit. Prophetiæ spiritu afflatus, multa & loco, & tempore remotissima prænucciasse, nonnumquam inclusas mentibus hominum cogitationes inspexisse dicitur. Quam dilectus Deo & hominibus, tam infernis spiritibus erat invisus. Multa ab iis pertulit, spectris horrificis exagitatus interdum, verberibus contusus, semel etiam præceps e fenestra projectus; quod tamen, Deo manum supponente, fuit innocuum. Eorum ipse dolos & maleficia sæpe eludebat, sæpe fascinoes præstigiisque dissolvebat. Jam quam multa ad commune bonum reipublicæ, ad salutem animarum, ad utilitatem domesticam Societatis vir præclarus inceperit, perfecitque, longum esset exequi fufius. Carminata præsertim auctore, domus Professorum Panormitana, & Messanenensis fuerunt conditæ, & collegio Panormitano patrimonium constitutum. Ortum illi suum, ac stabilitatem debent Messanense tirocinium, & collegium Melitense. Eiusdem industria, præter multas ubique fodalitates, coaluit Panormi societas S. Thomæ ægrorum ministerio addicta. Ibidem mulierculis e turpi quæstu revocatis cœnobium est restitutum, censuque firmatum. Cum esset Carminata tot meritis in Societatem, atque adeo in omne hominum genus illustris, de se perquam humiliter existimabat, illam usurpare Realini vocem solitus: *Deus bone, quando bonus ero!* Sed de ejus virtutibus si qui plura volent, adeant Aguileram. Occubuit xvi. Cal. Quintiles Panormi, eadem in urbe scilicet, ubi erat natus ante annos octoginta duos: maturo ille quidem abreptus funere, sed tamen ob damni magnitudinem luctuoso, acerboque. Ejus spiritum vix corpore solutum, ferunt, inter beatorum Ignatii & Xaverii manus fuisse conspectum, cum ferretur in coelum.

Idem annus provinciæ Mediolanensi collegium Neocastrense dedit. Quod Neocastrum ad Scriviam vocant, dioceseos Dertonensis oppidum est in Insubria, situm ad Scriviam amnem, unde illi cognomen, ut ab aliis urbibus oppidisque plurimis, quibus idem nomen est, dignoscatur. Censum collegio fundando communi sumptu contulerunt Hieronymus Marinus, & Joannes Ferrarius, ille Marchio, hic juris utriusque doctor; quibus propterea Mutius Generalis commune fecit fundatoris nomen, ex æquo inter illos dividens quæ viris bene de se meritis Societas solet tribuere. Quod attinet ad labores sociorum, magnopere celebratam invenio sacram expeditionem, quam ex collegio Montis Regalis susceperunt Patres Joannes Baptista Ferrerius, & Franciscus Bodius ad montem

Sca-

19.
De Præfecturis
ab eo gestis, &
ministerio con-
cionum.

20.
Quantam habe-
ret opinionem
virtutis, ac pru-
dentiæ.

21.
Nonnulla supra
naturæ ordinem
ab eo gesta in-
dicantur.

22.
Ejusdem insti-
tuta merita er-
ga societatem,
& rem publi-
cam.

23.
RES PROVINCIAE
MEDIOLANEN-
SIS.

Fundatur col-
legium Neoca-
strense.

24.
Frustruosa Mi-
sio PP. Jo. Bap-
tistæ Ferrerii, &
Francisci Bodii.

Scabiosum. Populum ejus loci privata paucorum inimicitia ita distraxerant, ut jamdiu factionibus, odiis, cædibus omnia miscerentur. Malo inveterato, & vix, ut apparebat, sanabili cum sæpe remedium quasivisset Episcopus nullo successu, nunc profecturis eo Patribus prænuñciabat dolens, frustra fore eorum qualescunque conatus; quidquid vero experirentur, lufuros plane operam, re infecta redituros. Re ipsa verus nimium vates videbatur initio. Ad plures dies nihil profectum est. Obfirmaverant namque oppidani inimicitias, nisi morte inimicorum non finire; nostros autem de pace differentes contumaciter repellabant. Sed quid non expugnat charitas, atque patientia? Labori instantibus nihilo fecius Patribus, & aternas poenas iræ tam pertinaci denunciatis, conterriti demum emollitque sunt capita factionum. Conveniunt domi nostros, atque ultro profitentur, se in eorum potestate futuros. Patres successu læti, eademque die negotium conficiendum rati, moneri jam tum latissimo aris campani pulsu populum jubent, ut in sacram ædem se conferat. Accurritur ex toto oppido. Cum adesset frequentissima multitudo, in medium prodeunt duces & antesignani partium, complectuntur sese, nullam fore posthac præteritarum offensionum memoriam invicem pollicentur: arbitris demum & sequentibus Patribus, pax sancitur, collacrymante præ lætitia populo, sibi que redditam aliquando tranquillitatem atque concordiam gratulante. Quo firmior esset pacificatio, eam referri in tabulas publici officii placuit. Quis jam Antistitis admirationem, quis lætitiæ consequi verbis possit? Eventum adeo insperatum non laudavit modo, sed dignum præterea censuit, de quo per litteras Principem admoneret. Itaque de tota illa re ad Sabaudia Ducem prolixè perscripsit. Sed dissimulare hoc loco non debeo, Franciscum Bodium, nunc tantæ utilitatis operarium, biennio post fuisse justis de causis a Societate dimissum: id quod nostris hominibus documento erit, ne alienæ magis salutis studeant, quam suæ. Et suæ vero, & alienæ multum studebat, qui eodem anno vivere desuit Genæ, P. Bernardinus Zannonius, patria Regiensis: vir omnium opinione sanctus, magnusque christianæ perfectionis & cultor, & magister. Annos ipsos quadraginta Genæ impenderat Zannonius audiendis domesticorum externorumque confessionibus; & notatum sæpe fuerat, qui ipso conscientia arbitro uterentur, singulari morum probitate, modestiaque inter alios discerni. Tantam ille solertiam fingendis suis ad pietatem alumnis adhibebat. Zannonio consiliorum suorum omnium conscio, ac moderatore utebatur Maria Victoria Strata, pia illa ac munifica sacrarum virginum parens, quas a colore superioris amiculi *Ceruleas* vulgo nominant. Iisdem ipse leges pietatis prudentiaque plenas composuit, quas primo Hierarcha Genuensis, deinde Pontifex Paulus V., postremo usus probavit. Obiit 14. Cal. Aprilis, annos natus amplius octoginta. Corpus in arca ex lapide conditum est, qui honor apud nos eximia tantum sanctitati tribuitur.

Vidimus duobus ante annis, quid rerum inceperint nostri in Corsica, post fundatum Adjacense collegium. Nunc de progressu earundem rerum aliquid indicandum. Lætiora in dies inde nunciabantur, præsertim vero de sacris excursionibus, quibus Patres Corsicæ tractum occidenti obversum peragrabant. P. Joannes Stephanus Ferrarius, & P. Octavius Sandilianus, e collegio Adjacenti egressi, æstatis partem maximam in una circuitione posuerunt. Exstat illius proluxa descriptio, in qua, præter communem cunctis fere missionibus fructum, non pauca memorantur scitu digniora. Regio erat ut plurimum alpestris, maximeque distans ab iis locis, ubi forum, & judicium exercentur. Quare incolæ soluti metu legum, & magistratuum, in omne facinus ruebant impune. Putabant plerique, nihil continere criminis furta furtis, & cædibus cædes rependere; quin esse pietatis humanæ, ajebant, ulcisci illatam proximo necem morte interfectoris. In libidinibus frænum habebant nullum. Pudet dicere, quæ flagitia apud eos innoxia censerentur. Quidam affirmabant, potestatem sibi esse factam a Parocho habendi clam pellices, modo veniam ab uxoribus impetrassent. Fas multi existimabant in sterili matrimonio sobolem alium-

25.
P. Franciscus
Bodius a Socie-
tate dimittitur.

26.
Mors, & elo-
gium P. Bernar-
dini Zannonii.

27.
Missio per-
quam frugifera
PP. Ferrarii, &
Sandiliani in
Corsica.

aliunde querere. Mit'o alia ejusdem generis, quæ longum referre per partes, ac molestum esset. Hoc senticetum ingressi Patres, quamquam viderent certandum sibi esse, non cum vitiis tantum, quæ superantur facilius, verum etiam cum inscitia, & erroribus gentis, in quibus convellendis maxima difficultas; tamen animum non desponderunt, atque ex uno in aliud oppidum discurrentes, demum agrestes illos populos longe alios quam invenerant reliquerunt. Novem adierunt populos, quorum & loci dignitate, & frequentia facile principes Zicavenfes. Inter hos inventi quamplures, ob damna ultro citroque illata, variis, nec facile solubilibus conscientiæ vinculis irretiti. Malo fere communi ut medelam adhiberent Patres, ad multitudinem retulerunt, vellentne, singuli rerum sibi furto sublatarum gratiam debitoribus facere, quo facilius a Deo veniam delictorum impetrarent? Assensere ad unum omnes, eaque velut acceptilatione omnes a communi nexu sunt liberati. Sed ne furandi impunitas aleretur in posterum, re omnium consensu deliberata, hanc sibi præterea legem imposuere, ut qui deinceps aliquid alienum furripuisset, præter multam luendam fisco, & rem domino redhibendam, certam æris summam ecclesiæ penderet; furti vero auctorem quicumque nosset, indicaret Judici. Legem sponte susceptam ratam habuit præfectus regionis, & publicis tabulis consignari jussit. Verum ut quacunq; fortunarum jactura multo est apud Corsos acrior acceptæ contumeliæ dolor, ita longe majoris negotii fuit persuadere illis, ut odia inimicorum, & voluntatem sumendæ ultionis abjicerent. Hoc tamen ipsum multis est persuasum; ut mirari licuerit, quantum supra naturam, & vitæ præjudicia valeat gratia cœlestis. Sed quæ in hoc genere contigerunt, ad alia festinanti non vacat singillatim referre. Dum hæc gerebant Patres collegii Adjacentis ultra montes, nihilo minore fructu P. Joannes Augustinus Gonsalonerius ceteriores insulæ partes peragrabat. Magni nominis operarius erat Gonsalonerius. Eum cum evocasset haud ita pridem Genua Julianus Castagnola Episcopus Nebiensis, ut ipsius opera ad salutem sui gregis uteretur, ille spem Episcopi non implebat modo, sed multis partibus superabat. Principio Clerum, partem gregis utique præcipuam, in iis quæ sunt ordinis sacerdotalis propria, egregie instituerat. Egressus deinde in dioccesim, ac totam oppidatim percurrens, locis omnibus mala vitiorum germina exscindebat, concordiam in domos, jus in forum, religionis cultum in templa reducebat. Alicubi populum sic ad omnia audientem habuit, ut quæcunq; fuerunt ad tuendam honestatem morum ab eo decreta, communi omnium consensu recepta fuerint, & relata in publicas tabulas, multa constituta, si a quoquam vel leviter violarentur. Quo rerum successu gaudens Gonsalonerius, nequaquam uti voluit potestate sibi facta Genuam remigrandi, sed totum præterea annum proximum manere in ea insula statuit, ubi tam felices fruges legebat. Parum tamen absuit, quin his insudantem malevoli opprimerent, ut infra referemus.

Provincia interea Germaniæ superioris, ad quam modo transgredimur, novo collegio augebatur Mindelhemii, quod oppidum est non adeo magnum, nobile tamen, atque elegans in ditioe Bavarica. Debuimus beneficium Maximiliano Duci Baviaræ, Principi Societatis nostræ studiosissimo: ejus enim auctoritate traditum nobis est vetus monasterium jam pridem ab Augustinianis, nescio quibus de causis, abdicatum, quod in morem collegii instructum, statim a nostris habitari cœpit. Eodem anno ad nonnulla religiosorum cœnobia pervasit nostrorum ministeriorum utilitas. Fuit ubi discordia inter Monachos & Abbatem exorta, totam foede turbabat familiam usque adeo, ut partes in jus irent, & urrinque negotium forensi strepitu, & contentione urgeretur. Aderat cum potestate judicis Proepiscopus Passlaviensis, & jam causæ cognitionem susceperat. Sed cum alia ex alijs subnascerentur in dies singulos capita dissidorum, nec tot componi lites sine magnis offensionibus possent; Judex, ut controversiam uno ictu omnem præcideret, dilato tantisper judicio, monachis potioribus persuasit, ut Oettingam ad dies paucos secederent, seque nostris ho-

T. I.

A a

mi-

28.

Consilium prudens ad pacandas conscientias tollendamque furtorum frequentiam.

29.

Labores & res gestæ P. Gonsalonerii in eadem insula.

30.

RES GERMANIÆ SUPERIORIS. Fundatur collegium Mindelhemii.

31.

Dissidentes Monachi ad concordiam revocantur.

32.
In altera reli-
gioforum fami-
lia excitatur ve-
tus legum ob-
servantia.

minibus traderent sacris B. Ignatii commentationibus exercendos. Sua non fellit illum opinio. Fecerunt monachi ut monebantur, atque inde in coenobium mutatis adeo mentibus redierunt, ut alii prope homines viderentur. Coalerant sponte omnium animi, extinctæ erant dissensiones, veterum dissidiorum nec vestigium supererat. Quare nullæ deinceps fuerunt iudicis partes, nisi ut concordiam gratularetur laudaretque; tam lætum vero, tam subitum sacrorum exercitiorum fructum admiraretur. Alia per idem tempus fuit in diocesi Frisingensi religiosorum familia, quæ a veteri suo instituto, ac disciplina profusus exciderat. Hanc Episcopus ut ad prioris vitæ normam refingeret, egit cum Cœnobiarcha, ut unum quemdam e nostris reciperet apud se velut hospitem, haberetque aliquandiu ut regiminis comitem, & adiutorem. Cœnobiarcha consilium Episcopi magnopere probans, Sacerdotem poposcit a moderatoribus Societatis quali opus esset. Datus est in primis idoneus, pius, doctus, affabilis, & mira in agendo dexteritate: qui quamquam initio domesticis parum gratus accideret, paulatim modestia, & morum suavitate omnium animos sibi devinxit. Pauci præterierant dies, & jam in animos cœnobarum dominabatur unus. Omnes suam illi conscientiam aperiebant, ejus voluntati & arbitrio omnes se permittebant. Hinc cætera sponte profluxerunt, non dicam ad votum, sed prope supra votum, & spem. Restitutus qui pene exoleverat religiosæ paupertatis cultus, frequentior sacrorum usus inductus, sublata consuetudines minus rectæ; atque ut omnia paucis complectar, intra dies quadraginta vita omnis monachorum ad leges revocata: nec vero facta nostro Sacerdoti potestas abundi, nisi cum nihil supererat corrigendum. Hæc intra privatos parietes, ac veluti in umbraculis gesta.

33.
Initium mis-
sionum castren-
sium in Germa-
nia.

Alii interim in aperto sole majora moliebantur. Ut alia prætermittam, quantum illud est, quod Patres Ferdinandus Lilius, & Balthasar Michael missionum, quas castrenses dicimus, specimen primum in hac provincia dederunt, primique omnium formam tam salutaris instituti in Germaniam invexerunt? Occasionem præbuit vir prænobilis Otho Henricus Fuggerus, dum parat auxiliarem militem, nomine Catholici Regis conscriptum, Casari in Bohemiam ducere: namque ille, prius quam itineri se committeret, duos poposcit quos nominavi Patres, ut essent sacrorum ministri, sibi primum, deinde etiam militibus. Patres ergo in eam expeditionem profecti, obeundam inter milites susceperunt sacram missionem ad earum exemplum, quas alibi institutas in Belgio dicebamus, primique Germaniæ Patribus commonstraverunt, quantus christianæ charitati locus inter arma sit. Fuit exercitus Casaris ad plures dies in castris circa Bubiemum. Ibi cum confedissent etiam copiæ Fuggerianæ, Patres moram illam in quæstu ponentes, nihil sibi reliqui ad laborem apostolicum, & ad charitatis officia fecerunt. Conciones habebant quotidie, milites tum privatim, tum publice ad detestationem criminum hortabantur, sacra petentibus ministrabant, omnium necessitatibus præsto erant. Grassari coeperat in castris exitialis lues, quam vocabant Hungaricam, multosque militum prosternebat. Ea nihil conterriti Patres, obire tabidorum contubernia, assidere eorum lectulis, nullam rem prætermittere, qua agrorum vel animis, vel corporibus solatium afferrent: quibus laboribus dum insistunt, ambo pestem contagione contraxerunt, sed Deo bene juvante revaluerunt. Mirabantur tam eximiam charitatem duces pariter, militesque gregarii; duos vero Patres, tanquam parentes suos veros atque optimos, diligebant, & observabant in tantum, ut eorum reverentia, nulli jam verbum excideret liberius, aut minus pudicum: id quod in militari licentia vix credibile. Sed gradum ad alia faciamus.

34.
Patrum labores,
& res gestæ in
castris prope
Bubiemum.

35.
RES PROVINCIÆ
AUSTRIACÆ.
Obitus Mat-
thiæ Casaris,
ubi de adoptio-
ne Ferdinandi.

Provinciæ Austriacæ calamitosum maxime hunc annum obitus Matthiæ augusti fecit. Nihil sane accidere opportunius poterat Bohemis hæreticis, ut in apertam rebellionem prorumperent. Illo enim vivo, etsi jugum re ipsa excusserant, tamen externa specie profitebantur adhuc debitam Regi fidem: quin ad ejus majestatem vindicanda in se superis approbantibus arma sumpsisse gloria-

bantur. At nunc larvam abjecerunt penitus, & contra novum regem nefaria arma strinxerunt. Tamen, ut facile, ac porro usitatum est in delictis atrocioribus aliquam recti speciem fingere, rationem excogitarunt, quam perfidiæ obtenderent. Nullos neque Matthias Cæsar, neque duo ejus fratres Maximilianus, & Albertus susceperant liberos. Id reputans Cæsar jam senior, ut constituto ante mortem hærede confuleret regnorum tranquillitati, patrualem suam adoptaverat Ferdinandum, Stiria, Carinthia, Carnorumque Archiducem, probantibus adoptionem, raro admodum moderationis exemplo, fratribus Maximiliano, & Alberto, & jus successionis patrueli cedentibus. Eo nequaquam contentus Matthias, biennio ante quam moreretur, indicto conventu ordinum Praga, successorem suum comitiis proposuerat agnoscendum jam tum, & siquidem ita placeret, (quod tamen sine cujusquam noxa fieret) eligendum: quo in conventu, quamquam vehementer reclamarent hæreticorum non pauci, omnemque moverent lapidem ne Imperatoris relatio reciperetur, vicerat tamen numero pars, cui placebat regnum ad Ferdinandum deferri. Salutatus itaque fuerat Rex Bohemiae Ferdinandus, hac tantum imposita lege, ut nullam partem publicæ administrationis attingeret, vivente Mattha: Regem autem ita renunciatum iidem ordines solemnè carimonia inauguraverant, & in ejus verba juraverant. Bohemorum exemplum imitati fuerant haud multo post Hungari in suis comitiis, & Ferdinandum eadem atque illi conditione regem creaverant. His nihilominus ita constitutis, Utraquiste in Bohemia, ut de morte Mattha: nunciatum est, nihil pensi habentes, neque decreta conventus, cujus pars ipsi fuerant, neque religionem sacramenti, quod dixerant Ferdinando, totis coorti sunt viribus, ut optimum Principem ab regno depellerent. In tam aperta perfidia ut viderentur, non tam vi, quam jure grassari, ad omnes Germaniæ Principes circummittunt communes litteras, calumniantes, non legitimæ electione, ad extortis fraude suffragiis Archiducem Stiria ad regnum prorepisse: non itaque illum esse verum Bohemiae regem, neque hoc nomine admitendum cum jure suffragii in conventu Septemvirum Francofordiensi ad dandam Cæsari successorem: ejus loco affuturos a se legatos, vacui regni personam ac jura sustinentes. Quæ cum molirentur perduelles, eodem tempore veriti, ne Ferdinandus (quod evenit) ipforum ingratis Romanum Imperium consequeretur, ac deinde auctus potentia armis assertum veniret suum jus, sollicitare ad defectionem finitimas regiones, & externis foederibus se munire studebant. Primo hæreticos Lusatia, Silesia, & Moravia in societatem nefariæ conspirationis trahunt. Pertentant deinde Hungaros, eorumque multos hæreū similiter corruptos, ut paulo infra dicemus, ad impium foedus ferendum impellunt sub Gabriele Bethlemio Gabore, nullius fidei, & magnæ ambitionis Principe, qui Turcarum ope dominans in Dacia, jamdiu imminabat Hungariae, & tacita spe Bohemiam quoque obtinendi ducebatur. Postremo factionis capita, indicto Praga conventiculo, quem falso conventum ordinum appellabant, regnum abrogant Ferdinando, ejusque loco regem Bohemiae creant Fridericum Septemvirum Comitem Palatinum Rheni, pro certo fumentes, magna potentia Principem haud modicas vires ad firmandam sibi regni possessionem allaturum. Ejus re ipsa partes defendendas susceperunt multi in Germania Principes protestantes, unde bellum Cæsari creatum est longum, atque difficile. Sed quæ deinde secuta sint, utque anno interea proximo attriti fuerint Bohemi rebelles, ut Palatinus regnum injuria occupatum, & paternam præterea ditionem amisit, in loco referemus.

Nunc ut ad res Societatis tot inter motus reipublicæ afflictas redeamus, simul ac Moravi, ac Silesiæ, inito cum Bohemis foedere, Ferdinandum abjicere, Societatem quoque nostram æterno exilio damnarunt. Et Silesiæ quidem nihil ultra potuerunt, quam ut nobis suis finibus interdicerent: nullum enim exstabat apud eos domicilium, unde Societas posset expelli. Solummodo igitur edictum promulgatum est, ne quis è nostris veniret in Silesiam, ne quis ullum

To. I.

A a 2

re-

36.
Bohemi hæretici Ferdinandum contumaciter respuunt.

37.
In partem rebellionis trahunt hæreticos Silesitas, Moravos, Hungaros.

38.
Regem sibi creant Fridericum Electorem Palatinum.

39.
Proscribitur Societas in Silesia, etiam si nullam habens ibi sedem.

40.
Tota Moravia
Societas jubetur
excedere.

41.
Edictum pro-
scriptionis Bru-
næ editum con-
tra Societatem.

42.
Indicetur exi-
lium Sociis Bru-
nensibus.

reciperet hominem Societatis ; aut uspiam consistere pateretur . Poenæ graves contra facientibus constitutæ . At in Moravia jamdiu habebat Societas domum primæ probationis Brunæ ; quæ provinciæ primaria civitas est : præterea amplum Olomucii collegium , cum academia ; & nuper stationem certam ac stabilem collocaverat Holeskoviæ . Ex his locis focii amplius centum uno fere eodemque tempore ejecti fuerunt . Brunam occupaverant perduelles Majo ineunte . Pridie Nonas ejusdem mensis indicitur nostris exilium . Nimirum post militem prædianum in sua verba sacramento adactum , proxima Societatis pellendæ cura fuit . Decretum proscriptionis erat in hæc verba conscriptum . „ Nos Barones , Equites , & e civitatibus delegati ex statibus & incolis marchionatus Moraviæ , religionis Evangelicæ , corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi sub utraque sumentes , in civitate Brunensi simul congregati , notum facimus hisce litteris omnibus eas lecturis , vel auditoris , ibique maxime ubi id fieri oportuerit , significatum nobis fuisse a Dominis Statibus regni Bohemiæ , non solum per editam in vulgus apologiam , sed per litteras complures , & alia argumenta , id quod orbi universo exploratum est , quibus artibus & machinis festâ Jesuitarum ad publicam perniciem grassata sit , non solum in memorato Bohemiæ regno , verum etiam in aliis locis & provinciis : & habentes pro certo , illos pessimorum auctores esse consiliorum , perturbatores regnorum , & exitiorum machinatores , uno consensu statuimus eosdem e marchionatu Moraviæ in perpetuum ejicere . Quamobrem vobis rectoribus , magistris , scholarum moderatoribus , & omnibus ad unum Jesuitis , quicumque in hoc marchionatu Moraviæ , in ejus civitatibus , oppidis , & aliis quibuslibet locis versamini , serio præcipitur , ut Dominis Commissariis a nobis ad vos missis , statim , sine mora , sine ulla excusatione , claves collegii & templi sponte tradatis , & inde post editum hoc promulgatum continuo demigretis ; intra triduum vero ex hoc Moraviæ marchionatu penitus excedatis , ita ut in eo nullus vestrum , neque sectæ , aut instituti vestri deinceps , in perpetuum , quocumque prætextu , aut nomine reperiat . Quo firmiores vero sint nostræ litteræ , illas nominibus nostris , & chirographis munitas esse volumus . Datum Brunæ vi. Maji MDCXIX. „ Decreto in hunc modum condito , duo ex proceribus ab ordinum conventu delecti , magna populi caterva comitante , ad domum Brunensem Societatis se conferunt , una circiter ante meridiem hora , qua prorsus hora nostri omnium quæ gerebantur ignari ad mensam convenerant . Ibi pro templi foribus , quasi jus dicturi , confidentes , adesse Rectorem primo , tum quantum domi esset fortiorum sibi confestim sisti jubent . Domi erant octo tantum supra quadraginta : nam duos & triginta novitios rector futuri præsciis alios alio mature dimiserat . Cum adessent omnes , præter duos agrotos , qui prodire non poterant , magna voce recitatur ferale decretum , jubenturque omnes pariter , nulla interpolata mora , migrare domo . Rector superos hominesque contestatus , nihil a se suisque admissum ex illis , quæ Societati objiciebantur , spatii nonnihil oravit , quo se ad discessum compararent . Nihil impetratum . Coacti omnes cum pallio duntaxat , petaso , & quotidianæ psalmodiæ codice proficisci . Ne data quidem ægrotis facultas remanendi , sed excussi confestim cubilibus , & in alienas deportati sunt ædes , donec præsto esset currus , quo extra urbem aveherentur . Digressis Patribus , decretum alterum præconis voce publice recitatur in foro , quo decreto docebatur populus quid actum esset , simulque tacite concitabatur in Patres . Auctores enim dicebantur esse , quod religio evangelica (ita suam haresim isti , si superis placet , Evangelii reformatores appellabant) in dies magis obsolesceret . Tamen in extrema parte scriptum erat , capitale futurum , si quis e populo abeuntibus molestiæ quidpiam , aut injuriæ intulisset : id quod qua mente additum fuerit , incertum . Sane discedentes Patres insana plebecula conviciis , atque omni ludibrio profecuta est ; nulli tamen poena vel levissima irrogata . Sed qui innocentiam opprimunt injusta vi , quas non licere sibi fycophantias putent ?

Vix Patres ad quartum processerant ab urbe lapidem, cum exoritur improvisum incendium in Brunensi suburbio, cui vicina erant prædia nescio quæ Societatis, spargiturque momento rumor, injectum ab nostris ignem, ut ne saltem inulti discederent. Ea res cum traderetur ut certa, & a magistratibus crederetur, procurrit emissâ celeriter cohors militum cum mandatis, ut reducat eos in urbem ultimo maectandos supplicio. Divorterant nostri in pagum (Durza nomen est loco), quo meliori olim tempore soliti fuerant cum sacro ministerio excurrere, subjerantque in domum Parochi, veteris hospitis, & amici. Dum nonnihil respirant ab itinere, & duos de suo numero post se relictos opperiantur, accurrunt trepidi nuncii, venire effuso cursu turmam equitum armatorum, & de Patribus quærere: duos interceptisse jam, & valde vereri se, ne etiam necaverint: irruisse quidem certe in eos strictis gladiis, minaci ore, directisque tormentis manualibus: eandem sine dubio fore caterorum sortem, nisi celeri fuga se subdixerint. Patres tristi nuncio conterriti, cum nulla pateret salutis via, confugiunt in sacram ædem, excepturi fortiter ante aram B. Virginis quidquid de se furor hæreticorum constituisset. Adfunt paulo post armati, vocibusque inconditis, atque ore truculento malum denunciant oppidanis, nisi sibi confestim Jesuitas, mortalium pessimos, incendiarios, latrones, mille cruces promeritos in manus tradant. Comperto eos delitescere in ecclesia, huc illico furentes convolant, oclusas effringere conantur fores, atrocia quaque vociferantes. Actum illa die de se crediderunt Patres. Rati non temere, se solo odio catholice fidei ad cædem quæri (nam quid aliud suspicarentur?) laxatis ultro foribus, sese ad ictum accipiendum componere, nudare colla, cervices offerre, Dux militum stricto acinace singulos, tanquam illico percussurus, invadebat, & maledictis proscindebat. Ad extremum foras prodire omnes jubet. Cum negarent alibi occidi velle, quam ante aram Deiparæ: Moriemini sane, ait ille, sed in foro palam, sed manu carnificis: vos interim Ordines retrahi Brunam jubent, ad dicendam causam incendii, quod excitastis. Ad hanc vocem mirari vehementer Patres, unde sibi tale inferri crimen potuisset, de quo tunc primum audirent. Conscientiæ fiducia erecti, nihilque aventes magis, quam ejusmodi rei vel apud iniquissimos Judices causam dicere, paruerunt, & se militibus ducendos præbuerunt. Brunæ interim ut cognitum est Patres redire, vix credibile ut commoti incitatie fuerint hæretici. Partim in publicum egressi, partim e fenestris prospicientes, reduces cum ingenti convicio exceperunt, pergentibusque miserabili agmine a porta ad prætorium omne probrorum genus ingesserunt, latrones, homicidas, incendiarios appellantes, rogum, & rotam, & si quæ sunt atrocioris instrumenta supplicii minaciter denunciantes. Ægre temperatum est, quin impetum in eos facerent. Et fecissent plane, nili in tempore auctor incendii patuisset. Sed innocentiam protegentibus superis, oportune prodiit in medium mulier rustica, atque ultro confessa est, malum, cujus Patres arguerentur, apud se ortum habuisse: se, dum ignem domi parum caute accendit, incendium imprudenter excitasse: evolasse favillam in stramineum casæ culmen, atque inde flammam in proxima pervasisse. Ea vox civitatem metu, nostros ingenti periculo liberavit. Re cognita Magistratus, lætitiâ ingentem præferens, Patrum innocentiam decreto testatur, patientiam moderationemque commendat; vix non confessus, ideo tantum pelli, quod religionem catholicam, & fidem adversus regem acrius tuerentur, quam ferre possent hæretici, & perduelles. Toto adhuc triduo retenti sunt in prætorii ædibus, & per quam liberaliter habiti. Placuit deinde, sumptu publico civitatis eosdem usque ad fines Austriæ deportari, tot paratis curribus, quot opus esse rector indicavit. Postremo datâ abeuntibus litterâ liberi commeatus, addito militari ad vim arcendam præsidio.

Quo die lex proscriptionis Brunensi domui probationis denunciata fuit, eodem irrogata est collegio Olomucensi. Decreti capita duo erant præcipua. Primum causâs exilii exponebat; alterum collegii, & templi claves reddi jubebat;

43.
Ex itinere revocantur ob incendium fortuito excitatum.

44.
Confugiunt in sacram ædem B. Virginis.

45.
Militibus se ducendos permittunt.

46.
Excipiuntur Brunæ ab hæreticis per quam crudeliter.

47.
Innotescit auctor incendii, Patrum innocentia declaratur.

48.
Post triduum cum honore iterum dimittuntur.

49.
Migrare jubentur nostri e collegio Olomucensi.

50.
P. Petrus Xi-
menius rector
tradere recusat
claves templi.

51.
Decanus capi-
tuli eas reddit.
Patres Olomu-
cio discedunt.

52.
Asta in Hunga-
ria. Bethlemii
Gaboris indo-
les, & insignis
perfidia.

bebat. Statim atque decretum allatum est, P. Petrus Ximenius collegii rector, oculis ac manibus in cœlum sublatis, Deum O. M. superosque testes fecit, causas proscriptionis falsas, & commentitias esse. Tum collegii quidem claves obtulit, sed quæ præterea poscebantur templi claves, eas negavit se traditurum. Jam illas, inquit, tradidi sacro magistratui, ad quem jure pertinent: nec minas vestras moror, aut paratam a vobis necem. Discedemus, sed excusso prius pedum nostrorum pulvere, ut Christus præcipit. Mirati orationis fiduciam Commissarii respondent, venisse se significandi decreti causa, non disputandi. Neque ego hæc disputandi causa dixi, subjecit Rector, sed innocentiae tuendæ. Jam alter a sexagesimo annus est, cum Societas Olomucii versatur. Nemo nobis quidquam hætenus ex iis, quæ vos narratis, objecit; nisi forte loco criminis ponitur juventutem bonis moribus & litteris excolere, populo viam salutis ostendere, bene de omnibus mereri. Hæc studia fuisse nostra, hæc munia, ipsimet idonei testes estis. Unum video quod objici nobis possit: Religioni catholice supra quam ferre possint hæretici, additi sumus. Hoc si nostrum est scelus, minime recusamus quin fortunam quamlibet pro tam illustri causa subeamus. Audiebant dicentem taciti: quid enim inficiarentur? Perrexere nihilominus claves templi postulare. Ximenius negare perrexit, quippe jam traditas Decano Capituli Olomucensis. Is cognito Patrum periculo, & vim non temere timens, advenit medius, & creditas sibi claves Commissario reddidit. Triduum nostris datum, ut de rebus collegii mobilibus arbitrato suo statuerent. Eodem fere modo, ac tempore, qui Holeskovia degebant quatuor, vel quinque focii, sedem deserere, & in Austriam migrare coacti sunt.

Is erat status rerum in Moravia, cum interea sectarum gregales in Hungaria, Bohemici motus conditionem secuti, a Ferdinando Rege pariter defeecerunt, & Gabrieli Bethlemio, sive, ut more patrio appellabatur, Bethlemio Gabori Dacia Exarco se tradiderunt. De quo homine quia frequens nobis recurret in annalibus mentio, non erit fortasse otiosum hoc loco pauca proloqui. Gente Dacus, & nobili quidem natus erat loco Gabor, sed fortuna admodum tenui. Hanc ut amplificaret, profectus Constantinopolim, regem Turcarum multiplici obsequio demereri studuerat diu. Inde redux in Transilvaniam, adhæserat Gabrieli Bathoreo, qui Turcæ beneficiarius ibi regnabat. Bathoreus hominem videns peracri ingenio, fervidum, consilio manumque promptum, & magnis gerendis rebus idoneum, illum in intimam amicitiam recepit. Unum neglexit quarere, quod tamen erat præcipuum, utrum fidus esset futurus. Sed quid adeo fallax, ac fides hominis ambitiosi? Qui semel ex imo niti cœpit ad summa, nullam aspernari solet viam augendæ fortunæ: bonas, & malas artes perinde habet, si prosint tantum. Gabore usus est amicissimo Bathoreus in secundis rebus: inimicissimum expertus est in adversis. Accidit ut contra Bathoreum, ob imperii sævitiem, rebellarent Transilvanorum plerique. His ille ad obsequium redigendis cum indigeret ope Turcarum, Gaborem misit Temesiam cum mandatis, ut a præfecto regionis auxiliares copias exposceret. Mandatis addidit magni pretii munera, quibus venalem præfecti animum demereri posset facilius. At homo perfidus, quibus muneribus Turcam suo principi conciliatum venerat, illum emit sibi. Quin Bathoreum criminatus ut dubiæ hominem fidei, qui spreto Turcarum imperio respiceret ad Austriacum, pollicitusque, si sibi ejus ditio traderetur, se vero in potestate Othomanum semper fore; perfecit denique, ut sibi Rex Turcarum Achmetes militum auxilia decerneret ad occupandam Transilvaniam, pellendumque Bathoreum. Neque id difficile factum fuit. Desertus quippe a suis Princeps infelix, defensores non habuit domi. Matthias vero Cæsar, a quo asferri subsidium debuisset, non iis tunc erat viribus, quibus contra tantas Turcarum opes obniti posset. Sic Transilvaniam obtinuit Gabor ut perfidiæ præmium. Quibus vero artibus proditor imperium erat adeptus, iisdem postea augere studebat, solitus omnia retinendæ, aut amplificandæ dominationis præfidia honesta ducere, fidem & jusjurandum, ut res & utilitas

posceret, servare, aut fallere. His jam institutis insistens, ubi primum cognovit hæreticos in Pannonia res novas moliri, eodem tempore Turcis Bohemisque scriptit, fidem atque operam suam aliis adversus alios offerens, unum spectans, ut utrinque auxilia compararet, quibus Hungaria potiretur. Non latuerunt hominis fraudulenta consilia. Interceptæ sunt ejus litteræ, in quibus exstabant documenta animi subdoli, versipellis, sua utilitate metientis omnia. Tamen Hungarorum quamplurimos adeo excæcaverat novarum rerum cupiditas, ut huic veteratori, & Turcarum mancipio subesse mallent, quam Ferdinando Austriaco regum piissimo, justissimoque.

Percutitur itaque foedus impium inter Gaborem, Hungarosque perduelles, atque ita convenit, ut ad conductam diem hi ferale rebellionis signum tollant, ille Cassoviam superioris Hungariæ urbem amplam invadat. Quibus constitutis rebus, ecce tibi circa initium Augusti arma sumunt magno numero Hungari, maximam partem hæretici: regnum in plura agmina distributi percurrunt, omnia cædibus & rapinis miscent: Ecclesiæ vero ministros aut spoliant bonis, aut vertere solum cogunt. Nostri, qui se præ cæteris peti scirent, temporari diffugiunt. Duo erant toto regno collegia Societatis, Homonæ unum, alterum Tyrnaviæ. Utrumque ad primum fragorem ingruentis turbinis desertum est. Homonensis familia in vicinam Poloniam evasit, in Austriam Tyrnaviensis. Nonnullos Sacerdotes Præpositus provincialis apud catholicos proceres distributos reliquerat. His etiam brevi migrandum fuit. Nam cum Gabor Pofonium usque cum suis, & perduellium copiis esset progressus, celebratum ibi est publicum regni consilium, ex eaque hæreticorum colluvie decretum atrox prodiit contra Societatem, quo nostris hominibus igne, ut ajunt, & aqua tota interdiceretur Hungaria. Id autem ut innotuit, quicumque nostros apud se detinebant, eos quamprimum dimiserunt. Aedes collegii Homonensis vastatæ sunt. Tyrnaviense domicilium ministri Calvinianorum suis usibus aptaverunt: templum, aris dirutis, gregalium concionibus servaverunt. Malis tamen auspiciis factum concionibus initium. Dum primus indicitur pulsu æris campani coetus, nolæ agitator recte, nescio quo pacto, implicitus, impetu propulsi æris in altum rapitur, dejecturque e proxima turris fenestra in præceps: quo casu male multatus, intra breve tempus occubuit. Triste omen gregales adeo conterruit, ut nemo jam vellet tale ministerium attingere.

Cæterum fati visum non est perduellibus Societatem tota depellere Hungaria. Usque ad sanguinem sævitum est: & forte magnam omnium nostrorum occidionem faciebant, nisi plerique crudelitatem insectantium fuga prævertissent. Cassoviæ duo versabantur Patres, Stephanus Pongratzius, & Melchior Grodecius, sumptoque hospio apud Andream Doczium Cæsareæ militiæ in eo tractu præfectum, catholicis Cassovienlibus sedulam operam navabant. Cum adest ad portas urbis Georgius Rakoczius (nobilis Transilvanus erat is, & copiarum Gaborianarum primarius ductor) ferrum ac flammam civitati denunciavit, nisi statim deditioem faceret. Conterriti cives Rakoczium portis patentibus excipiunt, Doczio injiciunt vincula, & hominem præcipua in Deum pietate, nec minori in Regem Ferdinandum fide, hosti crudelissimo dedunt, a quo missus in Transilvaniam, & veneno postmodum, aliisve artibus veterariis de medio sublatus est. Patres cum fuissent hosti similiter traditi, in Doczii ædibus, ubi nunc Societatis collegium est, tanquam in custodia tenebantur, collocatis ad fores militibus decem, qui caverent ne quis illorum efferret pedem, neu quis ad ipsos litteras, aut aliud quidpiam inferret. Et forte cum Patribus erat Marcus Crisinus Canonicus Strigoniensis, olim collegii Hungarici Romæ alumnus, nunc Societatis fautor egregius, & in opere evangelico strenuus adjutor. Hujus sacerdotium quoddam cum occupasset haud ita pridem Rakoczius, profitebatur nunc reddendum ipsi quidquid ablatum erat, si modo transire ad Calvini partes vellet, & ab Alvinzio Calvinistarum primipilo ministro facti testificationem sumere. Idem si facerent Patres, benigne libera-

liter-

53.
Gabor ducem se præbet Hungaris contra Ferdinandum.

54.
Hungari hæretici cum Gabore conspirant, & arma capiunt.

55.
Collegia Homonense, & Tyrnaviense a nostris deterruntur.

56.
Societas in conventu perduellium proscribitur.

57.
Cujusdam hæretici mors iustitiosa Tyrnaviæ.

58.
PP. Stephanus Pongratzius, & Melchior Grodecius capiuntur Cassoviarum.

59.
Custodiuntur una cum Marco Crisino Canonico Strigoniensi.

60.
Patres, & Crisinus ad detestationem frustra sollicitantur.

literque habendos promittebat. Exhorruit ad conditionem impiam Crisinus, & nuntium improbiſſimæ optionis acerbis verbis caſtigavit. Pari conſtantia firmitateque reſponderunt Patres, palam profeſſi, non modo bona fortunaſque omnes, ſed vitam ipſam ſibi religione catholica poſtiorē fore. Efferatus reſponſo Rakoczius, Crisinum & Patres acerbe vexari, ac præſertim crudeli torqueri inedia jubet. Hanc toleraverant aliquandiu: cum occaſionem captans tendæ illorum conſtantia Calvinista, carnes feria ſexta obtulit, non ſine joco, & præcepti eccleſiaſtici contemptu. At averſati proſanum hominem viri fortes, faceſſere cum dono ſuo illum juſſerunt. Unum rogaverunt, ut ſi quo humanitatis ſenſu tangeretur, aquæ cyathum ne denegaret; nam ſiti eneabantur. Riſit ille, ac negavit. Milites interea, qui prædam potius quam ipſorum ſanguinem ſitirent, ſummam ingentem pecuniæ poſtulant, ſi ſalvi eſſe velint. Patres votivam paupertatem commemorant: ſe piorum liberalitate ſuſtentari: nihil habere, polliceri nihil poſſe. Crisinus aliquid promiſit, ſed cum præſenti pecunia careret, rejeſtus eſt.

61.
Cruciantur crudeliter, & negantur.

Fruſtrati ſua ſpe ſcelerati, vim tormentorum parant, & maſtare innocentes ſtatuunt. Ingreditur ad vinctos VII. Idus Septembris Joannes Reinerus, catholicorum capitalis hoſtis, ſicariorum manu ſtipatus. Nudari Chriſti famulos, atque iis quæ infra ventrem ſunt partibus per ſummam immanitatem truncari jubet. Tum Crisinum invadens nominatim, ac vehementer increpans, quod gente Hungarus in perniciem patriæ cum mortalium peſſimis conſpiraret, ejus latera ardentibus perurit facibus adeo crudeliter, ut liquato adipe, totus difflueret. Eum denique capite amputato ſternit. Properat deinde ad Pongratzium, & titulum ſaviendi quærens, quaſdam ut proferat litteras rogat, quibus conjurationem contra reformatos inſitam contineri affirmabat. Neganti vero ejuſmodi litteras ſibi fuiſſe unquam viſas, primo ſingulos manuum digitos comminui, tum latera uſtulari tandiu jubet, donec nuda exſtarent oſſa. Quod cum a tortoribus fieret, ipſe Pongratzium alloquens, omiſſa mentione litterarum, illam rem poſtulabat unam, ut diceret, velle ſe ad reformatos accedere. Id ſi diceret, non modo vitam, ſed honores præterea, & opes offerebat. Fruſtra hæc ſunt, ait P. Stephanus: Mihi omnino deliberatum ac certum eſt necem quamcunque prius excipere, quam a religione vera deſciſcere. Hæc dicentem unus ſatellitum, incuſſa peſtori ferrata clava, tam valide percuffit, ut in veſtigio velut exanimatus conciderit. Irruunt in jacentem alii, ſpiranti inſultant, caput circumacſto fune conſtringunt, collum crudelem in modum obtorquent. Mortuum rati, ad P. Grodecium convolant, iſdemque fere tormentis tentatum, & ad omnia immotum, multis impolitus vulneribus necant. Corpora in cloacam projiciunt, ſimo, & ruderibus tegunt. At Pongratzium ſpirabat adhuc, & inter acerbiffimos dolores cum morte luſtabatur. Gementem audiit quidam ex prætereuntibus orthodoxis: acceſſit ad locum propius, numquid vellet rogavit. Cui ille voce intermortua: *Vale*, inquit, *ſili*, & *vide quaſo, ne cujus horrore ſupplicii a vero Dei cultu deſicias*. Perſtitit vir invictus in illis ſordibus horas circiter viginti, donec odoris foeditate, & vulneribus confectus, ſpiritum Deo reddidit VI. Idus Septembris, ipſo die natali B. Virginis, cujus amplificare cultum ſumma ope ſemper ſtuderat. Paucis poſt diebus caſorum corpora juſſu magiſtratum de medio foricæ transferuntur in ſterquilinum. Sed in eo cum jacuiſſent ſex menſibus, decentiori tumulto componenda curarunt Sigismundus Forgatzius, ejuſque conjux Catharina Palphia, qui id ut liceret veniam exſculperant a Gabore. Tunc abſterſa ſordibus, & purpureo amiculo involuta, in pagum neſcio quem proximum deportata fuerunt, & in templo Catholicorum cum honore condita. Annis vero quindecim interjeſtis, hinc quoque eduſta, Tyrnaviam in templum Societatis deſeruntur.

62.
P. Pongratzii diuturnior cruciatus, & mors ſerius.

63.
Quid factum ſit caſorum corporibus.

64.
Singulare documentum virtutis a P. Pongratzio editum.

Hungarus natione erat P. Pongratzium, agebatque cum mortuus eſt annum ætatis ſextum ſupra trigefimum, ab inſita Societate duodevigefimum. Quanta eſſet virtute ornatus, licebit conjecturam ſumere ex una re, quam

sub-

subjicio. Paulo ante quam Hungarorum defectio in apertum prorumperet, Sigismundus Peczius vir nobilissimus evocaverat illum Cassovia in vicinam villam, ut eo sacrorum ministro uteretur. Increbuit paulo post rumor, appropinquare Rakoczium, & Cassoviam cum infesto exercitu petere. Nec mora. Pongratzius veniam revertendi Cassoviam rogat. Mirari tam inexpectatum, &, ut videbatur, imprudens hominis consilium Peczius: temeritatem coarguere, vix non fatuum dicere, qui furentibus hæreticis objicere caput vellet Cassoviæ, & periculi magnitudinem non videret. Video equidem, respondit Sacerdos; sed magis moveor tot Catholicorum salute, quæ in discrimen adducitur: nec vero fas pastori lupis imminetibus oves deferere. Qua reddita digna sane Evangelico ministro voce, ut multum hospes dehortaretur, in urbem rediit, certus vim quamlibet tormentorum, ac necem ipsam prius subire, quam tali tempore pio gregi deesse. Paulo inferior ætate, sed non virtute erat P. Melchior Grodecus in Silesia natus. Triginta quinque numerabat vitæ annos, quorum sexdecim in Societate confecerat. Non est hoc loco prætermittendum, quod potiti Cassovia hæretici mactandos contendebant omnes Catholicos, quicumque intra urbem reperti fuissent: qua de re cum audisset Senatus, crudelitatem exhorruit, atque id modo illis concessit, ut de Sacerdotibus, qui Doczianis in ædibus custodiebantur, quod videretur statuerent. Ita Senatus indulgentia improbi laxas nacti ex una parte habenas, quæ contrahebantur ex altera, quam in omnes Catholicos parabant immanitatem, in tres istos effuderunt. Exstat in Romano Societatis tabulario authenticum instrumentum Emerici Losy electi Episcopi Waradinensis, anno MDCLXI. confectum, in quo recensentur testes idonei rite interrogati, qui omnes confirmant, non aliam ob causam Crisnum, Pongratzius, atque Grodecium, quam propter odium catholicæ religionis interfectos fuisse. Item alterum instrumentum Francisci Leonardi Szegedy, electi Episcopi Transilvaniensis, de prodigiis per Christi servos editis, & per juratos testes legitime confirmatis, quod exaratum eodem anno sæculi sexagesimo primo fuit. P. Alexander Dobokajus collegii Homonenfis rector, cujus infra obitum referemus, virtutesque laudabimus, in relatione quam de eorum nece transmisit ad Mutium Generalem, illud præter alia narrat, uni carnificum hæsisse in vestibus guttas aliquot sanguinis, quem corpora interfectorum emiserant, & quidem adeo tenaciter, ut nulla deinceps fullonis arte abstergi potuerint. Mutatas fuisse veteres vestes novis, & in his etiam cruentas maculas apparuisse. Sed nos ab his, & similibus abstinemus.

Dum hæc patiebatur Societas in Hungaria, Linciensis in Austria superiore (cujus etiam magna pars, foedere cum Bohemis inito, defecerat a Ferdinando) de evertendo collegio nostro, pellendisque Patribus deliberabant. Ne facerent in causa fuit P. Joannes Ostorpius rector, cujus auctoritate & gratia sententiam mutarunt. Bene autem illis ac fortunate cessit, quod Societatem retinuerint. Anno proximo victi a Maximiliano Bojorum duce, coactique a victore leges accipere, non alios apud eum deprecatores habuerunt, præter nostros, eorumque maxime deprecatione obtinuerunt, ne pro merito plecterentur. Cæterum ante quam hic annus exiret, cum esset belli alea adhuc incerta, collegium Crumloviense in Bohemia recuperavimus. Crumlovia enim, urbs Cæsari semper fida, ut adventare ejus militem sensit, perduellium imperium, aspernari magno animo coepit, nec dubitavit Societatem ab iis æterno exilio damnatam ad se statim reducere, ipsis inspectantibus, ac nequidquam frementibus. Redierunt Crumloviam decimosexto quam exierant mense Patres, summa civium gratulatione recepti. Pauciores tamen fuerunt initio, quam antea soliti essent, quippe fundis magnam partem direptis, & difficili propter belli calamitates annona. Atque hic demum erat anno præsentis status Societatis in Austria, Hungaria, Bohemia, Moraviaque: procellosus sane ac turbidus, verumtamen non ita afflictus, ut non esset in spe altius resurgendi novi Cæsaris

T. I.

B b

faris

65.
Eorum eadem
permittit Senatus,
& quare.

66.
Documenta
quædam, religionis
causam
fuisse interemptos.

67.
Linciensibus bene
vertit quod
Societatem non
ejecerint.

68.
Recuperatur
collegium
Crumloviense.

faris felicitate atque virtute. Quod quemadmodum deinde contigerit, suis infra locis narrabitur.

69.
Mors & e-
logium P. Joannis
Deckerii.

Prius interea quam e provincia Auftriaca discedamus, justa sunt perfolvenda P. Joanni Deckerio, quem religiosa virtutes cum eximia eruditione conjunctæ singulari elogio dignum reddiderunt. Ex Belgio, ubi natus, educatus, & philosophica doctrina sub Leonardo Lessio excultus fuerat, Romam venit adhuc adolescens, ut in Societatem cooptaretur. Cooptatus est ab Aquaviva, & Neapolim missus, unde post confectum cum laude tirocinium, & datam theologiæ operam, rediit Romam. Hinc Belgium repetiit sacerdotio initiatus, ac philosophiam primo, deinde etiam theologiam Duaci, ac Lovanii docuit. Migrare post hæc jussus in Germaniam, & collegio Olomucensi rector impositus, postquam ea præfectura defunctus est, Græcii confedit, ibique quod reliquum fuit vitæ posuit usque ad v. Idus Januariæ anni præsentis, quo die vitam præclarissime ætam felici morte conclusit, annos natus quinquaginta novem. Multa scripsit ediditque Deckerius, quibus id est confectus, ut theologicæ ac chronologicæ facultatis ætate sua scientissimus haberetur. Plura, etsi luce dignissima, nondum sunt edita, de quibus vide Alegambium in bibliotheca scriptorum Societatis. At quantacunque floruerit scientia, multo illustrior fuit religiosa virtute. Pudor illi summus: modestia in ore, in incessu, in toto corporis habitu plus pene dixerim quam virginea. Præter libros, quibus magnam diurni nocturnique temporis partem impendebat, nulla nisi in precibus, aut piis colloquiis voluptas. Divinarum rerum meditatione sic afficiebatur, ut oranti lacrymæ ubertim exciderent. Sæpe etiam in gemitus, & suspiria quædam vehementiora prorumpebat. Quod cum notatum fuisset Neapoli, coacti sunt moderatores separatim illi cubiculum attribuere, ut sacrum quo astuabat ardorem exhalare liberius posset. Majorum quoscunque nutus excipiebat summa, non solum alacritate, verum etiam simplicitate; rationem obediendi quærens nullam, præter divinam voluntatem, cujus certissimos interpretes æbebat moderatores esse. Quo in genere illud memoria peculiari dignum, quod in editione cujusdam operis, quod multorum annorum studio elaboraverat, cum nonnullas suboriri difficultates cerneret, discrete professus est, si ita juberent moderatores, minime se dubitaturum opus illud flammis absumere, nec vero ob eam causam vel leviter turbatum iri. De se perquam humiliter sentiebat: de suis lucubrationibus, etsi publico sapientum judicio valde laudatis, nunquam sermonem inferebat, solitus scriptorum omnium laudes libentissime audire, præter quam suas. Licet multiplici conflictaretur valetudine, nihil neque in victu, neque in cultu corporis singulare, aut exquisitius admittebat: morborum vero molestias tacitus ferebat, ac si sensus omnino expers esset. Mortem immaturam excepit incredibili tranquillitate, eamque fuisse illi divinitus prænunciatam, haud vana conjectura multi crediderunt. Illud quidem certe constat, die Virgini præsentatæ sacra, post peractum rite sacrificium, ministro gratias egisse, eundemque admonuisse, nunquam fore deinceps ut ejus ministerio indigeret: quod instinctu plus quam humano dixisse demonstravit eventus: eadem quippe die coactus lecto se committere, amplius non surrexit. Sed gradum ad alia faciamus.

70.
RES POLONIÆ.
Ponuntur fun-
damenta colle-
gii Crosnensis.

De rebus Poloniæ, & Lithuanæ, post annum sæculi decimum septimum per plures proxime consecutos, vel nullæ confectæ sunt litteræ annales, vel certe perierunt. Quare ea duntaxat referemus, quæ ex privatis multorum litteris licuit excerptare. Crosnæ, quod oppidum est Russiæ in diocesi Premisliensi, tribuitur Societati domicilium & census, liberalitate viri nobilissimi Petri Bal. Is olim hæresi innutritus cum venisset in Germaniam, contracta familiaritate cum Patribus Gregorio de Valentia, & Jacobo Gretsero, eorum hortatu hæresim ejuraverat Ingolstadii: quo beneficio se quammaxime obstrictum Societati prædicans, grati animi causa fundum inædificando Crosnæ collegio, & dotem aptam

aptam offerebat. At cum maxime manus operi admovebantur, decessit vir muniticus; quodque deterius, hæredes adhuc impuberes futuri erant sub tutela matris hæreticæ, quæ Societatem pessime oderat: ut vix ulla de collegio spes eo sublato relinqueretur. Tamen, contra quam putabatur, perfectum est ab uxore. Mulier nimirum, quam a nobis aliena, tam viro suo addicta, cum interfuisset solempni orationi funebri, quam de ejus laudibus habuit unus ex nostris, adeo pio illo officio mitigata est erga Societatem, ut nihil dubitaverit mariti cœpta perficere. Quod itaque ille supremis tabulis in collegii dotem legaverat, cum fide persolvit. Cæterum domicilio Crosnensi nonnisi post annos quatuordecim nomen collegii datum. Fundos enim ita devastarunt usitatis incursionibus Tartari, ut si quid inde capiebatur proventus, illud omne perdiu necesse fuerit iisdem reparandis impendere. Interim quod Crosnensi differebatur, stationi Ravenfi Præpositus Generalis indulgit. Est Rava urbs majoris Poloniae, in finibus Mazoviæ. Noster Sacerdos indidem civis, cui certa pecuniæ summa de paternis bonis debebatur, ita cum suis transegerat, ut pro pecunia sibi debita domum aptam traderent Societati: quæ re ipsa cum fuisset tradita, degentes in ea domo Patres præfectus urbis Stanislaus Volukius de suo liberaliter alebat. Tantam Stanislai beneficentiam superavit hoc anno ipsius frater Paulus Volukius Luceorienfis Episcopus. Novis enim coemptis ædibus, & justo censu constituto, dedit ad Mutium litteras, enixe illum rogans, vellet in Ravenfi domo scholas aperiri, quæquæ fuerat hætenus residentia collegio Califfienfi obnoxia, deinceps collegium esse. Quo impetrato, simul fundatoris titulum & jura est consecutus. Sub idem tempus Joannes Kutzborskus Episcopus Culmenfis, Societatem cum evocasset Bidgostium, collegii fundamenta jaciebat. Hæc ut ad optatum fastigium assurgerent, perfecerunt deinde sua beneficentia, primo Adamus Richlowickius cum Hedvige conjuge, ornatissima femina: tum Gaspar Dzialinskius tunc decanus Uladislaviensis, postea Episcopus Culmenfis: denique post annos ciciter viginti Georgius Ossolinskius regni Cancellarius, qui residentiam large dotatam, & ædificio auctam in collegium non spernendæ magnitudinis mutavit. Ad eundem modum, eodemque fere tempore natæ sunt residentia Mariæburgensis, Valcensis, & Graudentina. Mariæburgi, quæ urbs est Prussiae prænobilis, quatuor Societatis operarii residere cœperant superiore anno, subministrante sumptus annuos eodem quem diximus Culmenfi Episcopo, Joanne Kutzborsko. Excitata brevi complurium aliorum liberalitas, & splendorem novæ stationi, & perennitatem attulit. Valcium, oppidum regium in Cassubria, duos e nostris acceperat anno proxime evoluto, missionem temporariam obituros. Perspecta utilitate, quæ ex eorum labore percipiebatur, Joannes Goltomskius loci dominus, Palatinus Uladislaviensis, stationem nullo stabili censu firmatam alere cœpit annua pensione; donec Christophorus Tuczynskius Castellanus Posnaniensis, collata pecuniæ summa, perpetuam fecit. Graudentii, quod munitum est oppidum in Prussia regali, domum accepimus beneficio Joannis Dzienlynskii, qui simul collegio Torunenfi dedit, unde paucorum capitum familiam in illa domo tueri perpetuo posset. Ut deinde sedes Graudentina ad collegii dignitatem erecta fuerit, suo loco narrandum erit.

Nunc deferere Poloniam non possumus, nisi commemoratis antea quibusdam beneficiis, quibus ordinis nostri Coelites Polonis tam bene de Societate meritis vicem quodammodo reddiderunt. Puer parvulus prope Califfium fratrem natu minorem ludendo detruserat in præterfluentem, & imprudens demerserat. Mater, invento post longum laborem exanguis corpore, ad aram B. P. Ignatii confugit, orat, obtestaturque multis cum lacrymis, filium ut sibi viventem reddat. Vix preces absolverat, cum rediit ad vitam puer, & risu matrem agnovit. Leopoli ignis repens, incertum unde excitatus, duo millia ædificiorum absumperat in suburbis; nec ratio suppetebat coercendi victrices, & jam imminentes urbi consternatæ flammæ. Dum singuli trepidant, visus in summis mœnibus B. P. Ignatius, medius inter Xaverium, & Stanislaum Kost-

To. I.

B b 2

kam,

71.
Residentia Ravenfis in collegium erigitur.

72.
Initia collegii Bidgostienfis.

73.
Mariæburgi, Valcii, Graudentii Societas collocatur.

74.
Puer ope Sancti Ignatii ad vitam revocatur Califfii.

75.
Leopoli incendium extinguitur a SS. Ignatio, Xaverio, & Stanislaio.

76.
Aliud miracu-
lum Stanislai Ja-
roslavie.

77.
Leopolientes
beneficium ex-
periuntur B. A-
loyfium.

78.
RES LITHUA-
NIÆ.
SS. Pelagie, &
Eugenie corpo-
ra transferuntur
in ædem colle-
gii Pultoviensis.

79.
Rixa orta Vil-
næ inter nostros
discipulos, &
juvenes Luthere-
ranos.

80.
Tres discipuli
graviter laucii
præter spem
convalescunt.

81.
Ferale exem-
plum juvenis
scelesti & con-
tumacis.

82.
Mulieris flagi-
tium miro modo
innotescit Var-
saviae.

kam, quasi simul ad civitatis custodiam excubarent: qui cum instantem flammam manibus, & pallio repellerent, momento incendium resedit. Jaroslaviae domesticus collegii famulus, dum in ornanda aede operam ponit, de summis scalarum gradibus in præceps fallente vestigio datus, crus fregerat. Stanislai ope invocata, persanatus est tam subito, tam perfecte, ut suum exequi ministerium perrexit, quasi nihil adversi accidisset. Leopolienses uno eodemque tempore inopiam frugum ab anni siccitate, & a Scythis Russiae fines ingressis vastationem agrorum, & usitatas belli elades timebant. In tanto, ac tam publico metu, supplicationem quadraginta horarum instituunt ad aram B. Aloysii Gonzagæ: nec frustra. Simul decidere copiosus imber cœpit, quo arecentes in agris segetes sunt recreatae, & Stanislaus Koniecpolskius supremus belli dux Scythas ingenti clade fudit, ac profligavit. Uno die utrumque periculum feliciter discussum est.

In Lithuania magnam hoc anno collegio Pultoviensi lætitiæ attulit Henricus Firleus Episcopus Plocensis, illatis in ædem Societatis sacris corporibus Sanctarum Martyrum Pelagie & Eugenie, quæ hætenus minus honorifice jacerant alibi. Ea porro peracta translatio est cum insigni celebritate. Nam præter sacerdotalem ordinem ex universa diœcesi evocatum, affuit rogatu Episcopi ipse Rex Sigismundus, & pompam, qua sacra lipsana exportabantur, una cum regia conjuge Constantia Austriaca, omnique aulico comitatu, usque ad collegii ædem deduxit. Vilnæ res accidit, quæ variis tunc jactata sermonibus ita a nobis referetur, ut est in litteris ad Præpositum Generalem missis. Lutheranorum aliqui juvenes de religione disputare ausi cum aliquot gymnasii nostri discipulis, cum ab his valide refellerentur, cœperant suo more adversus Ecclesiam Catholicam injurias, & convicia jactare. Nostros par pari referentibus, acrius incaluerunt ex utraque parte animi. Stringuntur ad extremum gladii, atrox conferitur pugna. Sed qui causa vincebant, & superiores etiam in disputando fuerant, in pugna succubuerunt: permittente id, ut opinor, Deo, ut intelligerent Catholici, contentiones istas & rixas, quantumvis bona mente susceptas, nequaquam placere Numini, nec causam religionis a privatis defendendam esse ferro, sed lingua. Tres Catholicorum graviter vulnerati sunt. Tamen ut appareret, bonam istorum mentem valuisse apud Deum ad excusationem erroris, duo præter humanam opem ac spem brevi convalescunt. Tertii cum desperaretur omnino salus, decumbenti, atque horam ultimam opperienti, bini repente attiterunt humana specie Angeli, & siquidem recipere valetudinem vellet, poscendam opem B. Virginis, eique supplicandum dixerunt. Fecit adolescens, qui paulo ante in nulla erat prospera curationis spe, momento confanuit.

Longe huic absimilis conditio fuit alterius juvenis, qui cum annos aliquot in Societate exegisset, novissime aut mitti petierat, aut commiserat cur dimitteretur. Is, perinde quasi cum religiosa disciplina jugum quoque divinæ legis excussisset, perditissimis vivebat moribus Vindæ in Lotavia. Dum scelera sceleribus cumulat, & in omnem vitæ licentiam præceps ruit, oppressus improviso morbo, intra paucos dies ad extrema deducitur. Accurrit Sacerdos Societatis, ut opem morienti ferret. Repulsus est illiberaliter admodum, & inurbane. Sacerdos nihilominus, videns ingravescere sensim morbum, & infelicem juvenem properare ad interitum dolens, redit haud multo post: ad lectum accedit propius, quæ sunt talis temporis admonet vel invitum. Ille, furenti similis, deficientes colligit vires, & intorto in faciem loquentis sacro, qui forte erat ad manus, cereo: *Abi*, inquit, *bipedum nequissime cum tua confessione: nunquam tu hodie de me apud socios sulte gloriaberis*. Hæc ejus suprema vox fuit. Nam paulo post truci vultu, & ardentibus oculis, spumas divinæ gratiæ se præbuit Varsaviae mulier capite damnata. Sed referre prius juvat, quo pacto reiectum fuerit ipsius occultum crimen. Uterum gerens in-

nupta, ut probrum absconderet, secesserat imminente partu in desertum extra urbem agrum, ibique clam omnibus enixa, foetum reliquerat abditum inter cespites, frigore, atque inedia necandum. Reversa domum, rem prospere confectam putabat, ac sibi tacita gratulabatur. Cum ecce tibi molossus ingens arreptum ore puerulum in urbem ex agro defert, & ad parentis domum recta contendens, illæsum ante ipsius fores deponit: quo indicio prodita mulier, flagitiique convicta, patibulo addicitur. Eam unus nostrorum ad ferendum pie supplicium cohortari aggressus, ita comparatam reperit, ut optima mentis habitum admirari valde, & gratulari coactus fuerit. Nullo perfusa horrore vicinæ & ignominiosæ mortis, solam dolebat admitti sceleris atrocitatem, nec qualemcunque poenam deprecabatur, sed æternam tantum; facilem hujus vitæ jacturam dicens, modo criminum veniam a Deo consequeretur, & salutem sempiternam. Ita supremum expiata, ad supplicium processit nullo metu; eandemque in patibulo constantiam retinens, carnifici cervices dedit, & circumfusam multitudinem admiratione complevit.

In provincia Gallobelgica, serpente adhuc lue, cujus anno superiore minimus, collegium Atrebatense plures charitatis victimas numeravit. Vix prima emerferant mali indicia, cum Senatus urbanus viros ex nostris poposcit strenuos, qui pestilentia contactis præsto esse vellent. Plures se certatim obtulere: sed P. Nicolaus Lentellus rector duos tantum ex omnibus legit, Patrem Michaëlem Fabrum Sacerdotem, & Fr. Nicolaum Noëlium domesticum, adjutorem. Cæterorum laudavit pium ardorem, sed tunc quidem postulata rejecit, tantum eos admonens, ut prompto ad omnes casus animo essent. Deducti sunt Faber, & Noëlius per primores civitatis ad paratas extra collegium ædes: & continuo aggressi privatas & publicas obire languentium domos, cito pestem hauserunt, qua intra paucos dies absumpti sunt. Subrogavit in eorum locum Rector alios duos, P. Nicolaum Marefchallum, & Fr. Petrum Broquillum, viros in suo singulos gradu valde laudatos; quorum tamen nec diuturnior fuit labor, nec dispar laboris exitus. Brevi utrumque virulentus morbus extinxit. Istorum tam celeri obitu adeo non sunt conterriti socii reliqui, ut immo eandem sibi sortem ardentius expeterent. Dati ergo sunt in ejusdem discriminis aleam alii duo, Franciscus Oleartius, & Venantius Atrebatius, ille Sacerdos, hic laicus. Intra nonum diem occubuit Oleartius: quem cum excepisset P. Ægidius Rabachensis, huic deinceps, & Atrebatio lues pepercit. Præter ita mortuos, desideravit provincia virum optimum, nec canitie magis quam virtutibus venerabilem, P. Henricum Sommalium, qui primævum spiritum Societatis ex ipsa B. Parentis institutione hausit intulerat Belgio. Natus erat Sommalium Dionantii, quod celebre oppidum est secus Mosam. Receptus a B. P. Ignatio in Societatem Romæ, post traditas Laureti græcas litteras, auditosque in Germania philosophos ac theologos, sacri concionatoris ministerium obiit in Belgio ad multos annos, magna semper audientium frequentia, & pari fructu. Sæpe etiam rectoris munere perfunctus est. Demum in ultima senectute honesto potius otio, illud omne divinis commentandis rebus, aut piis libellis conscribendis contulit. Ejus industria, & labore, correctæ prodierunt opera Thomæ a Kempis: tum confessiones, soliloquia, & manuale S. Augustini, præter *Paradisum animæ* Alberti magni notis illustratum, aliaque hujus generis opuscula fovendæ pietati utilissima. Erat ei semper in ore, & in corde B. P. Ignatius, cujus dicta omnia, & acta commemorabat assidue, nunquam sine lacrymis. Paupertatem colebat tam exacte, ut moriens nihil reliquerit, præter codicem divinarum precum valde detritum, & sacrarum reliquiarum exiguum thecam. Obiit Valencensis III. Cal. Apriles, cum annum ageret ætatis octogesimum quintum, ab ingressu in Societatem octavum supra sexagesimum.

Parem jacturam sub finem anni fecit Flandrobeltica in P. Francisco Costero. Is patria Mechliniensis, Romæ Societatem iniit a prima ætate. In tantam

83.

Eadem capite damnata supplicium perfert pietate singulari.

84.

RES GALLOBELGICÆ.
Pretiosæ nostrorum mortes in obsequio tabidorum Atrebatii.

85.

Obitus & elogium P. Henrici Sommalii.

86.

RES FLANDRO-BELGICÆ.

Mors & elo-
gium P. Franci-
sci Costeri .

87.
B. Virginis be-
neficio optima
utitur valetudi-
ne .

88.
Eximia ejus
virtutes, & res
gesta .

89.
Ejusdem singu-
laris pietas erga
B. Virginem .

90.
Obitus & elo-
gium P. Ansel-
mi a Cruce .

tam deinde perfectionem virtutis excrevit, ut merito inter eos numeretur; qui nostri ordinis primordia plurimum illustraverunt. Romæ cum esset adhuc tiro, tria illum admonuit B. P. Ignatius uti necessaria cum primis, & præcipuo quoad viveret studio curanda: primum, ut humilitati studeret impense: deinde, ut ducem in rebus omnibus sequeretur obedientiam: postremo, ut animi hilaritatem diligenter custodiret. Monita alte impressit cordi Costerus: at de tertio nonnihil sollicitus, disquirebat secum, quinam posset læto esse, animo, si quando molesto aliquo morbo affligeretur? Hæc cogitanti, & opem B. Virginis imploranti visendam se obtulit Virgo Sanctissima, ac daret ipse operam, dixit, ut priora duo servaret: tertium sibi curæ fore, nec se permissuram, ut ulla unquam corporis, aut animi aegritudine laboraret. Id de se narrabat ipse jam senior moderatori suo. Cujus fidem rei affirmabat hominis mira ac perpetua tranquillitas: tum valetudo ipsa nullo unquam tentata morbo, quam ad annum usque vitæ octogesimum octavum produxit, animo semper & corpore validus. Servato in hunc modum tertio, quod erat de hilaritate, monito B. Parentis, minime est dubitandum, quin alia duo similiter de humilitate, & obedientia servaverit. Addidit tamen his alias etiam virtutes, animæ præsertim munditiem singularem, quam solebat quotidie sacra confessione purgare. Corporis vexator assiduus, longa & molesta itinera pedes conficiebat hispido cilicio succinctus, quod vix interdum deponebat. Otio nihil pejus odebat. Subcivivas horas meditatione rerum cœlestium occupabat, eaque necessariam a studiis & negotiis aberrationem condiebat. Vitam non brevem tot curis, tam variis, tam utiliter exercuit, ut si ejus res gesta expendantur, multo plures vixisse annos, aut multorum vitam æquasse laborando videatur. Primo Coloniam missus, latine & germanice conciones habuit: Sacram Scripturam, theologis, astronomiam philosophis, tironibus religiosæ vitæ placita explicuit. Inde varias Germaniæ & Belgii lustrans urbes, Catholicorum pietatem accendit sacris concionibus, hæreticorum fregit proterviam sermonibus eruditis, & libris, quorum viginti & amplius in lucem editi errore innumeris mortalibus, & pertinaciam eripuerunt. Rhenanam provinciam semel, bis Belgicam, præter plura collegia administravit, pari semper charitatis & prudentiæ laude; solitus suorum sollicitè consulere commodis, nihil suis, eorumque incolumitatem & vitam propriam anteferre. Id maxime patuit in Duacensi collegio. Cum enim pestilentia carperet populum, ipse, ne quem e nostris in discrimen conjiceret, unus caput salutis publicæ solatioque devovit: periculum tamen, licet præsentissimum, Deo protegente effugit. Eximius Deiparæ cultor fuit. Ejus imagines ubilibet conspectas salutabat, ejusdem dotes & miracula cupidissime audiebat, narrabatque. Sodalitates in ejus honorem multas conflavit: iis leges condidit, & Virginis colendæ modum, edito in lucem opusculo utilissimo, docuit. Erat Antuerpiæ pro curiæ valvis colossus ingens, profanæ monumentum antiquitatis. In ejus locum Costerus attollendam prægrandem Deiparæ statuam curavit. Cœlo demum maturus cum esset vir egregius, mortem eadem excepit oris atque animi tranquillitate, qua semper vixerat. Cumque animam agenti recitaretur psalmus nonagesimus, ut ventum est ad eas voces: *Et ostendam illi salutare meum*: Hoc porro, ait, reliquum est, hoc expecto: quibus in verbis expiravit Bruxellis VIII. Idus Decembris, post annos sexaginta septem in Societate transactos. Mortui funus, propter inveteratam sanctimoniam famam, magna civium frequentia celebratum est.

Eodem anno ineunte decessit Lovanii III. Nonas Januarii P. Anselmus a Cruce, dignus quam qui maxime annalium memoria vir, ut qui Societatem non minus virtutum exemplis, quam beneficiis ornavit. Cum esset adhuc juvenis, matrimonio junctus Catharinæ Danieliæ feminae religiosissimæ, (cujus vita typis impressa legitur) jam tum pietate, & studio religionis inter paucissimos eminere coepit. Hæreticis enim omnia susque deque miscentibus in Belgio, ipse totos septem annos carere paternis opibus, & exulare a natali solo

ma-

maluit, quam nefariis Ecclesiæ hostibus ulla re consentire; certus vitam ipsam pro tali causa profundere, si res posceret. Societatem ut primum novit, amare illam coepit impense, nec ei deinceps benefacere unquam destitit. Anselmi præsertim beneficentia servatum est in summa temporum difficultate Lovanien- se collegium, cum eo redactum esset inopiæ, ut stare diutius non posse videretur. Præterea, si quos viderat Lovanii præstantes ingenio atque indole, adolescentes, eos solebat convivio excipere: tum illato sensim sermone, singulos hortabatur, ut se nostrorum disciplinæ committerent. Nonnullis etiam aperte suadebat, ut Societatem ingrederentur: cujus industriæ optatum sæpe fructum capiebat. Multos sane vidit eximiæ spei juvenes ad Societatem sua cohortatione transgressos. Idem ne ipse faceret, sola impediatur caritate filii, quem unicum matrimonii fructum tulerat. At simul atque illum immatura morte sublatum composuit, quid sui consilii esset uxori aperuit: qua piis viri votis perquam libenter obsecundante, convenit ex pari consensu inter eos, ut ambo cælibatum interposita voti religione profiterentur, ac re ipsa professi sunt coram antistite Mechliniensis. Tum vero Catharina in monasterium sacrum virginum, Anselmus in Societatem se recepit, magno utriusque gaudio, nec minore totius civitatis admiratione. Decurrebat tunc Anselmus annum ætatis quinquagesimum quartum, vixitque postea inter nos annos fere quatuordecim: quo tempore optimum quemque æmulari summa contentione studens, singularem adeptus est opinionem virtutis. Obedientia præsertim adversus præpositos, & charitate erga omnes spectabatur. Sed ex Belgio gradum faciamus in Angliam.

Et nunc quidem de Anglia tanquam de separata provincia dicere aggredimur, illud exponentes primum, ut hoc anno focii ad Anglicanam missionem destinati in certum, ac proprium provinciæ corpus coaluerint. Mutium Generalem ut id decerneret multæ impulerunt causæ, nec vero leves, quas juvat a suis initiis evolvere. Cum primum Societas, auctore Gulielmo Alano postea Cardinali, religionem in Anglia periclitantem tueri coepit, ita fuit institutum, ut ad hoc opus non adhiberentur nisi ejusdem gentis homines, quorum erat in Societate ingens numerus, & par delectus. Ex his aliqui versabantur in ipsa Anglia, & a suis regebantur præsidibus, quos Vicepræfectos vocabant. Alii, aut nondum per ætatem idonei, aut litteris non satis exculti, studiis operabantur in Belgio, Gallia, & Hispania; atque interim, tametsi in iis quæ spectant ad disciplinam domesticam fuescent provincialibus locorum, in reliquis tamen subiciebantur universæ missionis Præfecto, qui Romæ vulgo se- debat, eandemque in illos exercebat potestatem, qua provinciarum præpositi frui solent. Res, etsi egregio proposito instituta, non vacabat incommodo. Primo ægre ferebant Provinciales, esse in suis collegiis, quos pleno jure moderari non possent, idque multo magis collegiorum rectores querebantur. Deinde aliena a Societatis spiritu videbatur illa gubernandi ratio, nationum discrimen inducens, malum in religiosis familiis summe timendum, ut quo sensim etiam disjunctio animorum induci solet. Præter hæc, cum oporteret ut sparsi per Angliam Professi convenirent identidem ad deliberandum de re communi; neque istos habere coetus licebat, absente omnium præside, neque iis inesse necessaria poterat auctoritas, quamdiu non alio quam missionis nomine, & jure uterentur. His de causis Mutius, abrogatis Præfecti, & Vicepræfectorum nominibus, atque officiis, missionem Anglicam titulo Viceprovinciæ, ac jure donavit. Qua in re nequaquam acquievit consilio Congregationis generalis ultimæ, cui placuerat rogandum esse Præpositum Generalem, ut modum illum Anglicanæ missionis administrandæ penitus aboleret; socios autem missioni destinatos, ubicunque essent, suis locorum præpositis per omnia subiceret. Id si fieret, extimuit, nec immerito, Mutius, ne laxata missionis compage, simul langueretur sociorum ardor, & ipsa missio concideret. Rationem ergo excogitavit, qua & discrimen illud nationum charitati contrarium tolleretur, & socii Angli

ar-

91.
Ut esset affectus erga Societatem antequam illi se traderet.

92.
Ex consensu uxoris Societatem ingreditur.

93.
RES ANGLICANÆ.
Missio Anglicana in viceprovinciam erigitur. Quæ fuerint causæ.

94.
Mutius recedit in hac re a consilio Congregationis generalis.

arctius inter se colligati posthac invenirentur. Id eo faciendum putavit magis, quod erant ex Anglicana natione focii numero multo plures, quam Viceprovincia nomen & ratio posceret. Censebantur enim Sacerdotes fere ducenti, magnam partem Professi, habebantque Leodii tirocinium, & novi collegii initium Lovanii, præter seminaria plurima externæ juventutis. Intra ipsam vero Angliam, tametsi propter iniquitatem temporum nulla haberi forma religiosi domicili possent, erant tamen annui constituti proventus, unde collegia tria sustentari non incommode poterant. Jam vero constituta, ut dictum est, Viceprovincia, Mutius primum Viceprovincialem dixit P. Richardum Blondum, spectatæ prudentiæ virum, qui jam inde ab anno sæculi quinto pleraque negotia Societatis in Anglia tractaverat. Sexdecim posthac continenter annos magistratum eundem gessit Blondus, resque ordinis tam apte disposuit, ut in illa tanta rerum Anglicarum perturbatione ratio vivendi, ac disciplina nostrorum quam minimum abesset ab ea forma, quæ inter alias ubique gentes propria est Societatis. Continuo insulam totam in certas distribuit regiones, degentesque in iis focios assignatis moderatoribus tradidit gubernandos, ut si quid nasceretur difficultatis aut dubii, unusquisque sciret, ad quem e propinquo referenda res esset. Ac ne commodis collegiorum omnino carerent, in agro Londinensi, in Wallia, provinciaque Lancastriensi certas designavit domos, in quas plures e vicinia convenirent statis temporibus, ut religioso commercio fruerentur, vota renovarent, haberent denique proximum superiorem, cui in omnibus auscultarent. Domus istæ erant veluti collegia totidem, ut ferebat conditio temporum, optime instituta. Singulis enim suus erat attributus census, & certa fociorum addicta manus; licet hi sparsim plerumque habitarent in adibus nobilium. Suum denique singulis erat nomen inditum: primo quidem a S. Ignatio, alteri a S. Francisco Xaverio, tertio a S. Aloysio Gonzaga. Quod si apud Anglos, quod optandum maxime, cultus catholice religionis resfloreferet aliquando, exsarent in omnium oculis tria de quibus loquimur Societatis collegia, & ad normam caterorum redigi nullo negotio possent.

De rebus Gallicis, si unam excipias provinciam Lugdunensem, nulla quæ videre potuerim hujus anni monumenta sunt. Lugdunensium vero fociorum, nec parvi fuerunt labores, nec steriles. Hæreticorum amplius centum viginti, eorum opera industriaque, ad Ecclesiam redierunt. Avenione invaluerant nocturna quadam otiosorum conventicula, officinæ scelerum antiquæ, & longo usu impunitatem adeptæ. Labem hanc Patres, partim concionibus publicis, partim privatis sermonibus sustulerunt. Ex collegio Bisuntino Sacerdos, ad lustrandam vallem montis Jura Helvetios & Sequanos interjacentem egressus, magnum obitæ peregrinationis pretium fecit. Libros vel catholice fidei, vel moribus noxios, manibus legentium detractos igni tradidit, similitates inveteratas composuit, superstitiones extirpavit. Denique post depulsum ubique vitiorum veterum, miseram gentem pestilentissima trium nebulonum fraude liberavit, qui ut pecunias corraderent, captata malis artibus sanctimonie fama, se divinitus missos mentiebantur ad expianda suis precibus & sacrificiis hominum crimina, citra usum confessionis & poenitentiae. Mafilia nondum erat Societas in civitatem accepta: jure tamen hospitii duo nostrorum paria Evangelicum ibi opus faciebant. Conciones ab his habitæ sunt, tum publice in templis, tum privatim in carceribus, in triremibus, in monasteriis virginum, approbatione omnium tanta, ut Mafilienses, qui antea malevolorum sermonibus occupati Societatem averfabantur, eandem amarent jam, & in pretio haberent. Nemausi unicus degebat operarius Societatis. Eum doctores Calviniani ad disputandum de religione provocaverunt, minime dubitantes sibi in manibus victoriam esse. At secus accidit. Provocationem cum accepisset noster Sacerdos, certamini interfuere magna frequentia & expectatione cives, præsertim e Calviniani gregalibus; hisque coram ad incitas adacti erroris magistri, suisque ipsimet assertionibus constricti, affirmare non dubitarunt, nec in coena Calviniana

idem

95.
P. Richardus
Blondus primus
Viceprovincia-
lis.

96.
Tria instituit in
ipso regno col-
legia. Cujusmo-
di hæc essent.

97.
RES PROVINCIÆ
LUGDUNENSIS.
Acta Sociorum
in diversis locis.

98.
Mafilienses
favere Societati
incipiunt.

99.
Nostri Sacer-
dotis disputatio
cum Calvinia-
nis Nemausi.

idem esse mysterium, quod Jesus Christus instituit in sua, nec homines sub finem temporum eodem surrecturos corpore, quo nunc constarent. Quæ duo tam aduersis auribus animisque accepta sunt a præsentibus Calvinianis, ut ipsorum aliqui eodem momento temporis transferint ad Catholicos; cæteri vero nequaquam dissimulaverint, suam illam religionem cœpisse sibi non mediocriter displicere.

Inter hæc Ebreduni videre licuit, etiam in tenera ætate quid possit cœlestis gratia. Adolescens ex parentibus Calvinianis nescio quo in oppido natus, Ebredunum fuerat missus, ut latinis litteris, & sectæ erroribus informaretur sub hæretico ludimagistro. At ab eo transfessus ad scholas Societatis, brevi veritatem agnovit, hæresim ejuravit. Ægerrime id tulerunt aliqui adolescentis consanguinei, nuntiandumque per litteras curaverunt ejus Patri: qui cum esset natura ferax, & in iram præceps, eo nuntio immane quantum exarserit. Advolat e vestigio Ebredunum, & ad urbis portam subsistens, filium vocari ad se jubet. Facile intellexit adolescens, cujus rei causa vocaretur. Accurrit nihilominus, ut imperata faceret. Sed ad portam usque progressus, præ metu egredi non audens, Patrem modeste rogabat, ut si quid vellet, inde significaret. Ille hac re offensus, non continuit sese. Irruit in filium immanitate incredibili: pugnis calcibusque misellum atrociter cædit. Simul quiritantem, & hominum superumque fidem implorantem propellere conatur ex urbe. Propellebat omnino, nisi furentis impetum continuissent duo Presbyteri, qui clamoribus, & diro spectaculo commoti, accurrerunt celeriter, & vim immitem prohibuerunt. Servatus in hunc modum adolescens, ita ut erat pæne semianimis, Patribus collegii nostri in custodiam traditur jussu pratoris. Non quiescit tamen ferus genitor. Adjungunt illi se consanguinei, & affines, quos similiter urebat amissæ prædæ dolor. Omnes extrema omnia conari collatis viribus statuunt, ut profugum adolescentem recipiant. Reipsa nihil inaufum relictum est. Rectori collegii graves intentatæ minæ, nisi illum quantocyus redderet. Appositi ad portas urbis custodes, ne clam aufugere, atque alio demigrare possent. Ad Regem usque querelæ contra nostros, criminationes, precesque, ut eum redhiberi juberet, transmissæ. Sed omnia vicit adolescentis mira constantia: qui primo in alium locum transfessus, ubi tutus esset a vi, haud multo post moriens persequentium conatus feliciter eluit. Citius, sed non adeo feliciter elusam se doluit Avenione mulier malefana, quæ filium ad Christi militiam vocatum contumaciter morabatur, ne responderet ad nomen. Eo usque progressa erat amentia, ut quantum est religiosorum ordinum impie devoveret, diceretque malle se filium videre sepulchrali involutum sindone, quam tunica religiosa præcinctum. Id quadam die cum dixisset, eadem die filius, cæteroqui bene valens, in ejus oculis, ac prope in complexu misere expiravit.

Avenione itidem vivere desiit v. Idus Julii P. Benedictus Martellangaus, singularis prudentiæ consiliique vir, easque ob dotes in foro conscientia consultissimus. Valetudine utebatur ut plurimum infirma: tamen, quo erat studio divini cultus augendi, unus tantum laborabat, quantum vix duo valentissimi operarii possent. Ille pauperes doctrina fidei erudire: ille vincetos invifere assidue, & consolari: ille scholasticis, aut in communi cunctis, aut seorsum singulis, bene vivendi præcepta tradere: simul quæstiones de moribus publice explicare, privatim consulentibus responsa reddere; ut vix aliquid interdum quietis, atque otii in tam actiuosa vita reliquum haberet. Sed qui curando corpori ægre inveniebat tempus a laboribus vacuum, facile inveniebat quod piæ meditationi aut lectioni traderet: solitus binas quotidie horas orando transigere, quæcunque instarent occupationes & curæ, quarum nullam habebat pietate, ac perfectione sua potiozem. Ejus ductu, & institutione multi præclaros in christiana virtute progressus fecisse dicuntur; sed ducem anteisse creditur nemo. Divina inter orandum pati, tutelarisque Angeli aspectu identidem, & alloquio frui ferebatur. Nihil denique omnium, quæ viris maxime sanctis Deus impertiri

To. I.

C c

fo-

100.
Mira fortitudo
adolescentis ab
hæresi ad Eccle-
siam transfessi.

101.
Exemplum
mulieris filium
a religioso statu
prohibentis.

102.
Mors & elo-
gium P. Bene-
dicti Martellan-
gæi.

folet, ab eo alienum putabatur: tantam plerique speciem ceperant de sanctimonia ipsius. B. Virginem colebat incredibili studio, ejusque cultum quibuscunque posset artibus propagabat. Eidem referebat acceptum, præter alia beneficia, quod viveret: meminerat enim se adhuc puerum, cum præceptum in puteum corruisset, ejus manu incolumem extractum, & in summo putei labro collocatum fuisse.

103.
RES TOLETANÆ.
De sacris formulis, quæ in collegio Complutensi servantur.

Per hæc in provincia Toletana Patres collegii Complutensis magno suo gaudio peractum viderunt judicium de sacris illis Eucharistici panis formulis, quarum celebratissimum nunc est tota Hispania prodigium, & hoc loco breviter indicandum. Anno superioris sæculi nonagesimo septimo, P. Joannem Suarium egregiæ famæ Sacerdotem adierat Compluti vir ignotus confitendi animo, vel potius obtentu. Dum hæret ad ejus pedes pœnitenti similis, cæteris omnis criminibus, unum hoc narrat: se haud ita pridem societatem coisse cum facinorosorum manipulo, gente Mauris: multa ab iis impie, multa quotidie nequiter fieri: se ipsum interfuisse non semel, cum in templis argenteas furarentur pyxides, & panis Eucharistici particulas nullo divinatorum respectu projicerent. Earum plurimas ego, subjecit, religione tactus collegi, habeoque apud me. Quibus dictis, eductum pera papyraceum involucrum Suario in manus dedit, nihilque ultra moratus, se proripuit. Erant in involucro formulæ omnino viginti sex, præter aliarum segmenta aliquot; apparebatque ex pluribus templis fuisse collectas: diversæ enim magnitudine, & forma erant. Suarius animi pendens quid crederet, quidve consilii caperet, rem totam, quantum arcani religio patiebatur, communicat cum doctissimo viro Gabriele Vasquez: cujus consilio formulæ, theca decenter inclusa, inter sacra lipsana reponuntur, simul ac earum species vetustate putruissent, igne absumendæ. Id ita fieri placuit, tum quod in ejusmodi re minime contemnendum videbatur testimonium hominis quantumvis improbi, tum etiam quod Maurorum impietas suspicionem movebat, ne veneno formulas infecissent ad creandam nostro Sacerdoti perniciem, si forte eas, uti plerumque fit, deglutisset. Formulas post hæc inspiciebat subinde Suarius, exploraturus, an earum species vis naturæ mutasset. Semper integras reperiebat: quod cum mirari satis non posset, demum inspicere desit. Annis undecim præterlapsis, detectæ iterum, atque iterum integræ fuerunt reperiæ. Transferuntur de consilio Patrum in sacellum subterraneum, ut periculum fieret, si quid saltem in eas posset aeris gravitas, & humiditas loci. Post menses amplius decem vitium duxerant nullum, erantque uti prius illas profusus, & incorruptæ. Quod cum prodigio simillimum putaretur, tunc quidem in sacrarium restitutæ fuerunt, appposito brevi ad rei memoriam, & documentum posteritatis scripto. Ibi manserunt usque ad hunc annum, post quam eas Suarius acceperat, vigesimum secundum. Nunc autem certa cum videretur miraculi veritas, & doctorum consensus accederet, visum de re tota questionem instituere. Cognitorem dedit Ecclesia Toletana Christophorum a Camera, virum humani divinique juris peritum, & rerum usu limatum in paucis. Is vero, post accuratam causæ inquisitionem, pronuntiavit, tam diuturnam formularum integritatem, non solum præter communem rerum ordinem accidere, verum etiam naturæ vires multum excedere, omnino miraculo adscribendam videri: servandas propterea esse in posterum cum honore, & cultu, nihilque obstare, quominus venerationi Christianidelium proponerentur. Non est dictu facile, quantam ex hoc decreto lætitiæ ceperint, non dicam nostri, qui tali ac tanto potiebantur thesauro, sed universa plane civitas Complutensis. Continuo ornatum est in æde collegii nostri sacellum: in sacello repositæ cum insigni cæremonia sacre formulæ; institutumque, quod adhuc viget, ut futuris deinde temporibus annua supplicatione per urbem humeris Sacerdotum circumferrentur. Porro miraculum, dum hæc scribimus, adhuc perseverat.

104.
Instituitur de illis quæstio, & dignæ religiose cultu judicantur.

105.
Novum inchoatur collegium Alcaratii.

Eodem anno novum provincia Toletana collegium habere coepit Alcaratii, quod oppidum est frequens in extremis finibus novæ Castellæ, prope Granatæ

Mur-

Murciæque regna. Debit beneficium Societas Joanni Ruizio civi honestissimo, qui moriens bona sua omnia fortunæque in hunc usum testamento transcripserat. Collegii tamen non admodum secunda fuerunt initia. Nam cum Alcaratium tres advenissent Patres, tum hæreditatem ut cernerent, tum ut jus domicilii acquirerent Societati, primo ab oppidanis non ita fuerunt excepti, ut lætus eorum adventus videretur. Deinde Ruizii filius nothus, paternas opes ut sibi uni debitas judicio petens, difficili lite Societatem implicuit. Postremo religiosi nescio qui oblectabantur graviter, ne ibi Societas collegium poneret. Quæ cum res multiplicem afferrent collegio extruendo moram, manserunt diu Alcaratii Patres tanquam in mera statione, quæ nisi post annos plurimos in collegium non transiit. Cæterum brevi civium mutati sunt erga nos animi, & ex malevolis amantissimi, cupidique Societatis effecti. Viderunt enim intra quadragesimam jejuniorum tam multis, tam variis, tam utilibus distentos ministeriis Patres, ut ea re majorem in modum delectarentur. Reputantes postea, eorum opera sublatum omnino esse quidquid hætenus in urbe fuerat simultatum, plures ex publico pellicatu ad castimoniam traductos, civitatem omnem alearum damno, & meretricularum infamia purgatam, crebriorem denique usum sacrorum in templa, & novam pietatis speciem in familias inductam; in loco beneficii longe maximi reponabant, quod tales posthac habere perpetuo possent apud se viros, a quibus tanta extaret in rem publicam tam brevi tempore utilitas. Magistratus quidem urbanus, peracta Paschatis celebritate, Patribus pro impensa civitati opera gratias prolixè egit, seque vicissim spondit nulla unquam re Societati defuturum. Hæc ibi. Contra Brozis, quod item oppidum est nobile & frequens prope Alcantaram, collegium sat prosperis initiis anno preterito coeptum anno labente dimittere coacti fuimus: de qua re ita reperiebam. Societatis collegium condi jufferat Brozis in patria sua Petrus Gutieres de Flores Archiepiscopus S. Fidei in novo regno, legaveratque eum in usum honorum suorum partem non contemnendam. Legati possessionem cum adiisset jam Societas, & re ipsa collegium inchoavisset, exorta ex improvviso est difficultas, quæ dubiam legati vim faciebat. Nam cum religionem professus esset Archiepiscopus in sacro ordine, cui nomen ab Alcantara, diserte negabat ordo, fuisse illi factionem testamenti de bonis, quæ cum adhuc esset de ipsius corpore paravisset, hujusque generis ea esse contendebat, quæ Societati legaverat. Itum est in judicium: lis secundum adversarios decisa. Itaque cum nihil esset reliquum, unde collegium sustentari posset, dimissum est. Fuere post paulo qui censerent, jure & legibus utendo, recuperari haud difficulter posse Brozensem sedem: sed Mutio rectius visum illam in perpetuum omittere, quam per lites contentionesque recipere.

Illius interea damnum ex parte reparavit, quæ Societati tributa est domus Hispali in provincia Bætica. Colligi ibi coeperat ante annos plures juventutis Hibernicæ seminarium, studio, & industria P. Richardi Convei; non alio tamen proventu, quam piorum largitionibus usque ad hoc tempus steterat. Ejus curam præcipuam gerebat vir pietatis eximia, Felix de Guzman Archidiaconus Hispalensis. At idem cum esset de operis bene coepti perpetuitate sollicitus, illud sæpe ac vehementer cum nostris agebat, ut seminarii regendi onus ipsi susciperent. Multis molestisque difficultatibus ea procuratio erat implexa, quæ causa fuit, ut ante hoc tempus constanter rejiceretur. Nunc tamen cum videretur in provinciæ consilio æque ad animarum salutem utilis, & divini cultus amplificandi magnam facultatem allatura, hoc nomine recepta est. Mense igitur Augusto Hibernorum contubernium Hispalense administrare coepit Societas, eodemque tempore novum ei titulum ab immaculata conceptione Virginis impositum læta vidit. Piæ novitatis auctor præcipuus fuit Hieronymus de Medina Ferragutus, civis Hispalensis æque pius ac locuples: qui cum novas alumnis, & amplas ædes ad habitandum tribuisset, hanc unam imposuit legem, ut tali deinceps titulo censerentur.

To. I.

Cc 2

Pro-

106.
Ejusdem primi labores, & fructus.

107.
Brozense collegium dimittitur, & quare.

108.
RES BÆTICÆ.
Hibernorum seminarium Hispalense Societati committitur.

109.
Idem ab immaculata Conceptione nominari incipit.

110.
RES LUSITANIÆ.
Laurentius
Lombardus do-
mum probatio-
nis condit Ulyf-
sipone.

Provincia Lusitaniæ, etſi omnium quas Societas numerat antiquiſſima, hoc primum anno propriam ac ſeparatam habere tirocinii domum cœpit Ulyſſipone: habuit autem unde minime expeſtabat. Laurentius Lombardus Belga, diu verſatus in Indiis, cum opes non pœnitendas negotiatione proſpera collegiſſet, Ulyſſiponem ſe ad extremum receperat. Ibi dum officia religionis noſtrorum, conſuetudine & ductu impeniſus colit, audit carere provinciam florentiſſimam, propria ac certa ſede, in qua tirones uſitato Societatis more ad pietatem inſormarentur: educari eos, partim in Eboreniſi collegio, partim in Conimbriceniſi, nonnullos Ulyſſipone in domo Profeſſorum: ſæpe de hac re poſtulatam fuiſſe in comitiis provincialibus, ſed nullo effectu: exſtare quidem tirocinii quoddam rudimentum in prædio Ulyſſiponenſi, ſed ædificium ob tenuitatem proven- tum lente progredi, nec niſi longo annorum intervallo perfectum iri. His cognitis rebus vir egregius, cum jam antea deliberatum haberet aliqua re Societati benefacere, ea demum re facere ſtatuit, quam & neceſſariam maxime eſſe, & fore gratiſſimam ſentiebat; proindeque ſepoſitam honorum ſuorum partem abſolvendo tirocinio, quod in prædio Ulyſſiponenſi inchoatum dicebam, contulit: qua liberalitate fundati tirocinii titulum ſibi communem fecit cum Ferdinando Tellezio de Menefes, & Maria de Noronia, piis conjugibus, qui olim in ejuſmodi uſum certa veſtigialia tranſcripſerant. Accidit paulo poſt ut moretetur Lombardi uxor, eamque brevi intervallo ſubſequeretur etiam filia, patris hæres & voluptas unica. Tunc ille omni humana cura abſolutus, & vitæ ſanctioris deſiderio incenſus, ſe ipſum Societati tradidit inter domeſticos adju- tores. In quo poſtea gradu cum ſe recte & laudabiliter gereret, ad profeſſionem trium votorum, raro admodum exemplo, fuit admiſſus a Præpoſito Generali: hanc exiſtimante Mutio deberi viro optimo gratiam pro beneficio, hunc pro inſigni humilitate honorem. Interim eduçta ad ſatigium quam citiſſime domo, de qua ſupra dicebamus, eique addito eleganti templo, exſtitit Ulyſſipone ſatis idonea tirocinii ſedes, in eamque undique novitii induçti fuerunt. Quod tamen petebatur, ut illud unicum eſſet in Luſitania tironum domicilium, id effici nequaquam potuit. Progreſſu enim temporis, docente uſu ſic provinciæ rationibus expedire, iterum ſunt reſtituti Eboræ, Conimbricæque tirones, & tria diverſis in locis tirocinia conſtituta: quod quidem nimium non eſt in ea provincia, quæ non ſibi duntaxat, ſed aliis etiam extra Europam provinciis ſobolem, & alumnos parat.

112.
Adventus Phi-
lippi III. Regis
in Luſitaniã.

Sed ut redeam ad tempus de quo ſcribo, latum ac memorabilem Societati Luſitanæ fecit hunc annum adventus Philippi III. Regis in Luſitaniã. Dum enim noſtri homines optimo Principi, inter publicas totius regni acclamationes, documenta quædam exhibent voluntatis & obſequii ſui, viciffim ab eo retulerunt documenta benevolentiæ præclara, ſibi que maxime honorifica. Eboræ, atque Ulyſſipone nullam noſtri prætermiſerunt earum rerum, quas in adventu magnorum hoſpitum uſurpare palæſtra litterariæ ſolent, ſive ad augendam lætitiã, ſive ad explicandã. Omnia Rex perhumaniter excepit. Eboræ collegium ingreſſus, & ad intimam uſque aulam deductus, primo orationem æque prolixam & cultam, quam in honorem ipſius recitavit unus noſtrorum, audit attente admodum, comiterque. Pari deinde comitate interfuit philoſophicæ diſputationi: quæ prius quam inciperetur, juſſit ſcientiarum profeſſores aperto capite conſidere, nec abnuat odoratas, quæ diſtributæ fuerunt, chirothecas perinde ac cæteri dono accipere. Tum adſtitit uſque ad extremum, argumenta hinc, inde reſponſa ſilentio excipiens, interdum laudans, indicium moleſtiæ præferens nullum, donec finis concertationi factus. Ea abſoluta, diſceſſurum deducebant magno agmine Patres. Ipſe diſcedere prius noluit, quam collegium omne, & omnes collegii angulos amantiſſime perluſtraſſet. Ulyſſipone, cum tota civitas in gratulationes, & varia gaudii publici ſigna effunderetur, drama Regi datum eſt in collegio Societatis. Nihil neque ad ſplendorem apparatus, neque ad actionis elegantiam deſideratum. Spectatorum frequentiam amplif-

113.
Noſtrorum ob-
ſequia erga re-
gem Eboræ, &
juſque eximia
humanitas.

114.
Ulyſſipone Rex
collegium, &
domum Profeſ-
ſorum inviſit.

plissima aula non capiebat. Sed nihil æque spectaculo fuit, ac vultus ipse Principis, qui affuit ab initio ad finem intento semper ore, atque animo, plane ut videretur ea re plurimum delectari. Post illustratum præsentia sua collegium, eundem honorem impertiit Rex domui Professorum, totamque cum regis liberis, ac procerum magno numero obiit comitate tanta, ut ne recusaverit quidem de paratis in usum affectantium cupediis aliquid libare. Verum inter hæc læta mœrorem ingentem aspersit Patribus Ulyssiponenlibus, quæ subito facta est, jactura P. Francisci Pereiræ: de quo viro statuere certo non possum, utrum majori floreret opinione sapientiæ, an sanctitatis. Multum sane apud Regem gratia, multum apud omnes auctoritate poterat. Ad gravissimas quasque ordinis præfecturas adhibitus, nunquam commisit ut ejus quisquam imperium gravate ferret. Illud in religioso dominatu præcipuum, atque unice expetendum putabat, quod posset suo jure sibi deteriora seligere, & in ferendis religiosæ vitæ oneribus præire cæteris deberet. Erat cibi parcissimus: curabat tamen diligenter, ne cui suorum necessaria deessent; sapienter existimans, custodiam legum, & officii labores ab iis exigi commodius, qui vicissim a majoribus debita consequuntur. Natura ipsa candidus, & ingenuus, animi sui sensus ita solebat sine ambagibus explicare, ut ab eo fraudem metueret nemo, nemo ejus qualemcunque vocem haberet suspectam. Ter Romam venerat: bis ad comitia ordinis, iterum ad negotia suæ provinciæ procuranda. Natus erat Britiandii in diocesi Lamecensi. Obiit XVI. Cal. Decembris, annos natus circiter sexaginta.

115.
Obitus & elogium P. Francisci Pereiræ.

Progredior jam ad res transmarinas. Provinciam vero Goanam ingredienti tres occurrunt digni annalium memoria Patres, quos hic annus extinxit, Emmanuel Pineirus, Thomas Stephanus, & Sebastianus Gonsalvius. Ut de singulis aliquid cursim leviterque attingam, Pineirus gente Lusitanus annos fere duodeviginti comes, & adjutor strenuus fuerat P. Hieronymi Xaverii in missione Mogolica, veneratque ante quinquennium Goam jussu Jehanguiri Regis, ut cum Prorege Indiarum de negotiis ad summam reipublicæ pertinentibus transiret. Legatione perfunctus, repetere agrum Mogolicum, & ad labores pristinos reverti gestiens, quamvis esset ætate provectior, in viam se dedit: sed Goam ex medio itinere revocatus, ibi post paulo naturæ concessit XIII. Cal. Augusti, anno ætatis suæ sexto supra sexagesimum. Omnes in eo eminuisse virtutes tradunt, sed miram præcipue laborum patientiam, & animarum studium inexplabile. P. Stephanus natione Anglus, quem cum Thoma Pondo receptum in Societatem docuimus libro hujus historiæ primo, numerabat vitæ annos septuaginta, hujusque temporis majorem partem, annos scilicet quadraginta, excolendis Salfettarum novalibus perquam utiliter impenderat. Gentis linguam, quam Canarinam vocant, adeo callebat, ut ejus artem conscripserit. Cum vero prodesse quampluribus vellet, ad Indicam quoque linguam, quæ nobilibus in usu est (Indostanam appellant), adjecit animum, ediditque ea lingua libros de Christiana fide, non minus rerum magnitudine, quam sermonis elegantia laudatos. Obedientiæ cultor eximius, moderatorum imperia omnia pari excipiebat alacritate, nunquam auditus aliquid malle, quam quod jubebatur. Nec vero prius obediendi finem, quam vivendi fecit. In ipso supremo morbo, cum cibum ex toto fastidiret, contumaciam stomachi nauseantis vincebat, non vivendi cupiditate, sed studio obtemperandi: utque audierat vocem medici, vel præpositi cibum sumere præcipientis, quidquid fuisset appositum, invita licet, ac repugnante natura, admittebat. Incidit ejus obitus, nescio quo casu, Goæ. At Salfettani ut rescivere mortuum, eidem tanquam parenti suo funus honorificentissimum, non tam pompæ apparatu, quam copia lacrymarum celebraverunt. P. Sebastianus Gonsalvius natus erat ante annos sexaginta tres Ponte Limæ, dioceseos Bracharenfis oppido: quadraginta quinque exegerat in Societate. Tironibus instituendis Eboræ cum fuisset adhibitus, in Indiam navigare maluit. Quod tamen quærebat unum, ut Christum barbaris annuntiaret, nunquam obtinuit, jussus omne aliud agere in India, quam sacris missionibus exerci.

116.
RESPROVINCIAE
GOANÆ.
Mors & elogium P. Emmanuelis Pineiri.

117.
Et P. Thomæ
Stephani.

118.
Et P. Sebastiani
Gonsalvii.

ceri. Perdiu provinciæ præpositis a secretis fuit: deinde præpositus Goanæ domus: mox rector, atque iterum institutor tironum; donec petenti datum, ut sibi uni viveret in domo probationis, ubi demum exitiali correptus morbo decessit x. Cal. Aprilis. Quamdiu fuit in magistratu, duabus præcipue regendi artibus commendabatur, candore animi, & charitate. Nihil sic oderat, ut omne simulationis genus: suorum autem peccata postea quam emendaverat, ita penitus delebat ex animo, ut eorum nullum apud se vestigium, ac ne memoriam quidem retineret. Exstant ejus aliqui libri nondum editi, in quibus est historia de viris religiosiis, cum nostris, tum aliorum ordinum, qui apud Indos pietate & litteris floruerunt: itemque volumina tria de rebus gestis Societatis in iisdem terris.

119.
Goani præsentem experiuntur opem S. Francisci Xaverii.

120.
Bazainenses piis lacrymis impendentem calamitatem avertunt.

121.
Pretiosa mors cuiusdam adolescentuli.

122.
Fructus sodalitatum in Salfettis, & Damani.

123.
ACTA
IN ÆTHIOPIA.
Imperator e æno libidinum emergit.

Quo morbo extinctus est P. Gonsalvius, eodem comprehensi fuerunt Goensium quamplurimi: invaluerat quippe lues quædam pestilens, quæ contagione ferpebat. Ad pellendam urbe calamitatem, itum est magnis agminibus ad sacrum Xaverii corpus. Nostri lineum ejus amiculum ad ægrotos circumtulerrunt: nec vero frustra. Amiculi contactu persanati plerique sunt, atque intra paucos dies vis morbi resedit. Eodem anno Bazainenses, cum vix respirarent ab horribili clade, quam anno superiore demonstravimus, in magno erant gravioris infortunii metu, ob siccitatem cœli diurnam & contumacem, quæ spem anni exinebat, & certam annonæ difficultatem portendebat. Profuit piaculi genus, quod ad avertendas cœlestes iras nostri instituerunt. Adesse jusserunt præfinita die populum ad pacem superum exorandam in collegii æde, eodemque ut ex proximis circum villis conflueret longis ordinibus vulgus agrorum, curaverunt. Cum essent omnes ad excipiendum divinum verbum optime comparati, ad confertissimam concionem prodiit unus Patrum, & contra licentiam vitiorum, præsentis mali causam veram, atque unicam, invectus est oratione tam vehemente, ut iis vocibus commota multitudo humi se abjecerit, lacrymis gemitibusque templum oppleverit. Cœlum momento pervaserunt vota clamoreque miserorum, Patrem misericordiarum flexerunt. Cœpit continuo obduci nubibus optatissimis aer: postridie vero tam copiosus effudit se imber, ut spes vicinæ messis jam prope exarescentes resloruerint. Bazaini itidem res accidit ad memoriam insignis, quæ ad excitandam neophytorum pietatem plurimum valuit. Puer erat moris innocentissimi, qui cum soletet christianæ doctrinæ enarrationes assidue a nostris audire, velut Angelus spectabatur inter æquales, & magnam pietatis sensum in rebus omnibus præ se ferebat. Is ægroans graviter, brevi ad extrema deductus est. Ut autem parentes vidit lectulo circumfusos, & sua causa collacrymantes, composito ad lætitiæ vultu: *Quin vos, inquit, meam mihi sortem gratulamini, cui adstat Virgo Beatissima cum adolescentum pulcherrimo ac læto agmine, credo equidem, ut me secum in cœlum trabat.* Atque ea vix locutus, mortalem vitam cum æterna commutavit. In Salfettis duo excitata nuper fuerant tenerioris ætatis sodalitia. Mirificum porro est, quo pietatis studio ferverent, etsi adhuc adolescentuli, novi sodales, quantique facerent vel minimas legum, quibus sodalitatum disciplina constabat. Similia tradunt litteræ de alia puerorum sodalitate Damani haud ita pridem erecta. Hanc, ajunt, sacrarum familiarum quoddam veluti seminarium videri potuisse: tam multi inde adolescentes in sacros subinde ordines immigrabant. Id, addunt, profuisse plurimum ad fovendam, vel etiam redintegrandam inter nos, & alios religiosos concordiam: eam videlicet rem, quæ cum ubique optabilis, tum vero in India ad Dei cultum amplificandum est maxime necessaria.

Per hæc in Æthiopia studiosissimus religionis Imperator omnia movebat, ut populares suos, capita præsertim nobilitatis, & monachos ad catholicam veritatem traduceret. Hac mente, ut forte otium ab armis habebat, convocatis ad se regni proceribus, & coenobitarum magno numero, in eorum coronæ legi quotidie jubebat explanationes Apocalypseos, quas a nostro Blasio Viega latine scriptas, nuperrime P. Antonius Fernandez Æthiopicæ fecerat. Aderat ipse

ipse assidue, audiebatque attentione summa. At dum alii doctæ lucubrationis auctorem laudibus tollunt, alii oblatam ab eo veritatem amplexantur; Princeps lectione salutari percussus, displicere paulatim sibi, commoveri, angique coepit, donec divina aspirante gratia, emerfit e libidinum coeno, in quo misere volutabatur. Utinam non rediisset ad ingenium postea, nec se in easdem fordes miserius projecisset. Eodem tempore P. Franciscus Antonius de Angelis uberes legebat fructus apud Agaos, ad quos eum anno præterito transgressum videbamus. Venerant ejus gentis legati ad Imperatorem Æthiopiæ, attulerantque lauta ei munera, tum honoris & obsequii causa, tum ut gratum animum pro condonatis offensis testarentur. Legationem, & munera libenter acceperat Princeps: legatos tamen cum dimitteret, illud etiam atque etiam eos admonuerat, haberent doctoris & parentis loco Patrem de Angelis: ei per omnia obtemperarent, viro nimirum doctissimo, sibi que amicissimo. Id si facerent, rem facturos sibi gratissimam, & ipsorum rationibus maxime consentaneam. Hac dimissi cohortatione legati, magnam inter suos excitaverant opinionem Europæi doctoris; ut jam illum unum spectarent Agai, unum colerent universi, ab eoque erudiri certatim poscerent. Quod nisi Pater de Angelis evocatus a Cela-Christo fuisset in regnum Gojamense, anno uno putabatur omnem Agaorum nationem ad Christi signa ducturus. Etiam in regnum Nareæ inveni fides poterat, nisi sociorum paucitas obstitisset. Est Nareæ provinciarum omnium quæ Æthiopi parent amplissima, & occidentem versus extrema. Gentis aliqui nobiles cum venissent in ædem Gorgoranam, eos nostri hospitaliter exceperant, habuerantque apud se ad plures dies benigne admodum, & amice. Hospites delectati sacra rituum nostrorum pompa, & Patrum urbanitate illecti, simul atque in patriam regressi fuerunt, dederunt operam, ut Gorgoram mitterentur legati ad evocandos in Naream Patres, quibus præter domum, propagandæ catholice veritatis facultas prolixè offerebatur. Nihil nostri optabant avidius. At paucitatem æstimantes suam, non sunt ausi majorem viribus provinciam complecti. Legatos ergo cum ingenti honore exceperunt, sua spe frustratos ægre dimiserunt: eorum tamen postulatam tandiu differenda censuerunt, donec sociorum auxilia ab Europa submitterentur.

Quam dissimilis Imperatori Æthiopiæ erat Japoniæ Imperator, tam diversam in hac terræ plaga experiebantur Christiani fortunam. Provinciarum reguli, precarium obtinentes imperium, & præfeti urbium, sævire cogebantur vel invitati, ne apud Xogunum sævissimum tyrannum offenderent: qui cum de liberatum haberet Christianos ferro & igni persequi tandiu, donec omnem Christi cultum ex imperii sui finibus sustulisset, effundebat in ministros iram, si desides in hoc negotio invenirentur, aut paululum conniverent. Hoc persecutionis immani turbine abrepti sunt anno uno Christiani octoginta sex, partim ferro, partim igne interempti. Nos priorem locum tribuimus nostro Fratri Leonardo Kimuræ, Societatis domestico adjutori, ejusque illustre martyrium a suis initiis narrandum sumimus. Leonardus natione Japon, licet promulgata jam essent feralia contra religiosos edicta, tamen Nangasachii versabatur impune in omnium oculis, quippe indigena, & pari cum populo cultu, vultuque. Accidit ante triennium, ut filium Taicosamæ, legitimum imperii hæredem, Xogunus bello victum, ac profugum tota Japonia perquireret. Venit in suspicionem occultati Principis Frater Kimura. Captus, interrogatus, objectum crimen nullo negotio diluit. Fit deinde reus homicidii occulte patrati, cujus auctor frustra quærebatur. Hanc etiam calumniam facile depulit Kimura, vana esse ostendit indicia, suam innocentiam ad liquidum demonstravit. Ita periculo solutus discedebat. Cum prætor ex eo quarit, num quem Societatis hominem norit, ac possit indicare? Novi unum, inquit, eumque tibi tradam in manus arbitrio tuo plectendum. Lætus inopinato responso prætor Kimuram complectitur, obtestans ejus ut nomen & latibulum edat. Simul milites, qui comprehenderent hominem, inclamabat. At Leonardus: De-

sine,

124.
Pater de Angelis fructuose laborat apud Agaos.

125.
Invitantur nostri in regnum Nareæ, sed frustra.

126.
RES JAPONICÆ.
Crudescit persecutio contra Christianos.

127.
Ut captus fuerit Frater Leonardus Kimura.

128.
Quam sanctam
vitæ formam
induxerit inter
socios carceris.

129.
Quæ charitatis
officia exerce-
ret erga eosdem.

130.
Qua flagraret
cupidine mar-
tyrii.

131.
Damnatur igni
Frater Kimura
cum aliis qua-
tuor Christianis.

132.
Cum iisdem
producit ad
rogum.

sine, ait, plura: non milite hic opus, aut armis; nec vero longus investigandi labor; coram adest quem quæris; ego ipse sum. Stetit prætor admiratione defixus, & volentem retineri iussit in carcere. Tres fere annos hæsit in vinculis Leonardus: quo tempore carcerem certis legibus ita temperavit, ut simillimus cœnobii videretur. Eo duce ac magistro, vincti cœlestem vitæ rationem instituerunt. Quotidie mane horam unam precationi quæ mente fit, alteram ei quæ voce peragitur, tribuebant. Precationem pia lectio excipiebat. Post prandium, quod oryza tantum & frigida parabatur, sermones miscebant de rebus divinis. Tum unusquisque operis nonnihil faciebat privatim, hic legendo, ille scribendo, alius artem aliquam & opificium tractando. Appetente nocte, rursus in meditatione rerum cœlestium hora collocabatur. Feriam cujuslibet hebdomadæ quartam, & sextam ducebant jejuni, & flagellis corpora castigabant. Semel singulis mensibus jugi horarum quadraginta comprecatione sibi constantiam in fidei professione, præconibus vero Evangelii dignos præstanti ministerio spiritus a superis exposcebant. Leonardus omnes, ut mens per varias corporis diffusa partes, animabat. Eos, qui recens ducerentur in vincula, excipiebat benigne, & christianæ vitæ legibus ac mysteriis, si essent ethnici, erudiebat; quo de numero Christianos fecit nonaginta sex: qui vero educerentur carcere, ad supplicium, illos ad mortem pie obeundam comparabat. Si quid cibariorum, aut nummorum sibi a Christianis & amicis submitteretur, totum in vinculorum socios dividebat: qua charitate ita sibi omnes devinciebat, ut homines antea vitis deditos, nec solum expertes veræ pietatis, sed in cœno flagitiorum, in præda & sanguine diu versatos, paulatim ad austerum illud, ac pium vitæ genus adduceret. Præcipuam Leonardus curam collocabat in excolendis Christianis tredecim, quorum crimen unicum religio, & præbitum religiosi hospitium. Hos eodem quo ipse flagrabat igne divini amoris accendebat: cum iisdem de beata martyrum conditione crebros, & suavissimos sermones ferebat. Qua porro ipse æstuarerit cupiditate martyrii, ex una re conjecturam facere licebit, quæ in actis martyrum Japonensium publica auctoritate confectis legitur. Ludovicus Martinez de Figheredo, solitus Leonardum sæpe visere, testabatur, non raro conspectum a se fuisse, cum prunas candentes e foco sumptas imponeret manibus, ac præ lætitia gestiens exclamaret: *O ubi qui me pro Christo vivum ardere jubeat! Quando felix, & optata tot votis dies illucescet!*

Illuxit vero nunc fortunatus dies. Novembri exeunte, redux ab aula Conrocius Nangasachii gubernator Imperatoris mandata detulit, ac Leonardum cum aliis quatuor Christianis flammis addixit. Productus e carcere ad judicem, prosequente, & catenas certatim deosculante Christianorum turba, interrogatur, an sit e Societate Jesu? Enim vero sum, inquit; neque id nescire potes, qui me sapius veste Societatis indutum vidisti, sæpe etiam alloquentem præfidum meorum nomine audivisti. Cur ergo, judex addidit, in Japonia mansisti, exulare toties iussus? Remansi, subjecit Kimura, ut Christi fidem, quæ unica est ad salutem æternam via, inter meos populares promulgarem. Atqui ob hanc ipsam causam, judex ait, vivus cremabere: hanc scilicet tibi pœnam irrogat Imperator, non ob occultati Principis, aut ullius homicidii crimen tibi alias impositum, cujus te insontem declaramus; sed quia proscripam inter nos festam Christianorum disseminasti. Gratias egit Leonardus ob necis causam liquido propositam. Tum ad circumfusam multitudinem conversus: *Testes ego vos omnes facio, inquit, me non aliud ob crimen igne damnari, quam quod Christianus, & promulgator Evangelii sum. Quatuor reliqui a judice pariter interrogati, cum in fidei retinendæ sententia permanerent, eodem supplicio damnantur. Prius quam ad rogum producerentur, Kimura vestem Societatis quæsitum misit, eamque induit. Mox pariter ad supplicium processere, sequente terra marique Christianorum ethnicorumque innumera multitudo, quam Leonardus, quantum contendere voce poterat, toto itinere admonere non destitit, ut sanctissimam Christi fidem, aut susciperet, aut retineret. Rogum* pa-

paraverant in colle summo, cujus a terra æque ac mari patebat prospectus. Stipites in medio erant defixi quinque, modico intervallo. Circum lignorum struem congesserant in eam altitudinem, quæ stantium ad palos aspectum non prohiberet. Spatium omne clauferant vallorum septo, ne quis propius accederet. Huc ubi ventum est, se invicem suavissime complexi beati pugiles, ad suum quisque palum alligantur: ignis arida materia subicitur. Fumus inter undantes flammæ sublatus illos oculis spectantium aliquandiu eripuit. At eo subinde dissipato, apparere viri fortissimi erecto corpore, atque ore, non gemitum, non motum edentes ullum, quo doloris sensus indicaretur. Eluxit præ cæteris Leonardus, animi alacritatem ipso vultu præferens; auditusque est cum quæreret, essetne verus ille ignis, cujus ipse vim nullam sentiret? Sive hoc miraculum revera esset, sive flammæ ardorem obtunderet ardor spiritus vehementior. Jam ignis, absumptis ejus vestibus, ac semiusto corpore, vincula, quibus ad palum tenebatur adstrictus, ruperat. Tum ille protendens solutas manus, captare quodammodo, atque adducere ad se affluentes flammæ globos, quasi leves tractaret auras, & solatium ab illis quæreret. Simul audiebatur psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* magna voce concinens: sed fumo spiritum intercludente, progredi ultra dimidium non potuit, defectusque pariter voce, & vita procubuit. Eo procumbente, erupit undique Christianorum clamor Jesum & Mariam appellantium. Quidam sacro ac subito æstu succensi, mori pariter, & insilire in ignes medios ardebant. Fuerunt quos agre militum diligentia prohibuit, ne transcenderent vallum, & qua densissima videbatur flamma, præcipientes se conjicerent. Judices, ut tantum ardorem comprimerent, colligi raptim reliquias Martyrum, & fustibus comminutas in profluentem abjici jubent: sed frustra. Earum partem haud exiguam fluctibus eductam Christianorum pietas conservavit. Hunc habuit vitæ exitum Frater Leonardus Kimura, vir plane excellenti virtute, ut etiam si demas tam gloriose mortis commendationem, merito inter præstantissimos Societatis milites locum obtinere possit. Natus erat Nangasachii parentibus, non solum genere, sed etiam virtute claris, quorum e stirpe fuit ille Kimura, quem S. Franciscus Xaverius in Japoniam appulsus primum omnium baptizavit. Educatus ab ineunte ætate apud nostros, ut erat ingenio acri, & optima indole, pæne adhuc puer ad ethnicos erudiendos, explicandamque rudioribus doctrinam Christi fuit adhibitus, donec annos egressum septem & viginti Societas inter suos conscripsit. Per annos deinde septemdecim religiosa fecit stipendia, & emerita demum militiæ rudem accepit iv. Cal. Decembris, ætatis anno quadragesimo quarto. Quamvis operam dedisset litteris quantum erat satis, ut sacerdotium capefferet, in infimo Fratrum gradu mereri maluit, studio humilitatis. Eo tamen in gradu Sacerdotum industriam & animos ita æmulabatur, tamque assiduam atque utilem in adducendis ad Christum ethnicis ponebat operam, ut nihil ei deesse præter nomen, & honorem sacerdotalis ordinis videretur.

Ecce autem nono post felicem Kimuræ obitum die, nempe ad Nonas Decembres, eadem in urbe Nangasachii capite damnantur alii duodecim divinæ legis alumni. Feralis sententiæ non alia causa, nisi quod domos haberent vicinas aedibus, ubi capti fuerant religiosi, proindeque, ut ferebat iniquissima lex, latebrarum conscii, & affines noxæ censerentur. Conscii essent, nec ne, parum interest. Illud ad eorum gloriam vehementer pertinet, quod oblatas a Governatore conditiones amplissimas, non vitæ solum, sed etiam libertatis atque opum, constantissime recusarunt, uno tantum excepto, quem constantia defecit. Cæteri undecim magno ac forti animo repulerunt conditiones impias, rerumque omnium jacturam prius, quam fidei salutisque facere maluerunt. Primum in iis locum dignitatis obtinebant duo, Antonius Kimura Leonardi nostri, de quo supra dictum est, propinquus, & Thomas Cotenda Chiumius regis Firandensis consanguineus. Qui erant nobilitate præcipui, virtute etiam fuerunt. Prior statim atque septum fumendo supplicio destinatus est intro-

To. I.

D d

gres-

133.
Vivi combu-
runtur. Mira-
omnium con-
stantia, sed præ-
sertim Kimuræ.

134.
Christiani cir-
cumstantes sa-
crum ardorem
conciunt.

135.
Elogium, &
vitæ summa Fr.
Leonardi Ki-
muræ.

136.
Alii undecim
Christiani ca-
pite plectuntur
Nangasachii.

137.
Duorum virtus
& fortitudo sin-
gularis.

gressus, quasi vit quonam profus in loco Leonardus cecidisset? monstratum; autem crebris libavit oculis, lacrymis rigavit, ac demum datis cervicibus, corpore truncato textit. Alterum ferunt latitiis omnibus incessisse audito mortis obeundæ nuncio, idque unum in loco supplicii questum esse, quod non diutius medios inter ignes moreretur. Ad eos noster Præpositus Provincialis clam submiserat Sacerdotem, qui ipsorum confessiones exciperet: quæ res morituris incredibili solatio fuit.

138.
Quam sancte
viveret Dida-
cus Cangajama
Faito in regno
Bugensî.

Non erat illis inferior aut virtute, aut splendore generis Didacus Cangajama Faito, pridem ob Christi nomen pulsus aula, divitiisque & honoribus spoliatus in regno Bugensî. Rerum omnium egentem, sed sua tamen paupertate letum sustentabant Patres Societatis, quippe memores veterum beneficiorum, ac probe conscii, quantum illi Societas, quantum religio deberet. Illum P. Ludovicus Froes decennem sacro fonte tinxerat, ante annos quatuor & quadraginta. Eundem per omnes virtutis asperioris vias duxerat P. Gregorius Cespedes, atque ita in subigendis animi cupiditatibus exercuerat, ut nihil illi ad Christianam perfectionem deesse videretur. Virtutes colebat omnes, sed charitatem præsertim, atque patientiam. Nuper capitali inimico, non modo veniam offensæ gravissimæ libens dederat, cum ulcisci facile posset; verum, etiam amplissimis ornare illum studuerat beneficiis: rara in viro nobili virtus, rarissima in Japonibus, quorum est indoles superba, ferox, injuriarum persequentissima. Ærumnas suas æquissimo tolerabat animo, nullum illis modum, neque finem optans, præter crucem, aut rogam. Hæc agitati adest improvisus a rege centurio, & chartam prægrandem porrigit. Tredecim in ea legentur exarata crimina, quorum fiebat reus. Prima duodecim conficta: postremum duntaxat, quod esse Christianus perseveraret, verum. Hoc ultro confessus Didacus, de aliis purgare se parabat. Sed nihil est opus te vexari, ait Centurio doli gnarus. In postremo crimine salus tua, vel perniciës vertitur. Christum si ejuras, salva res est: sin vero pergis illum colere, quantumlibet aliorum expers criminum, mortem non effugies. Didacus, his rebus auditis, humi abjecit sese, & gratias Deo ingentes egit. Mox assurgens, ore ad eos qui Centurionem affectabantur converso: *Testes*, inquit, *vos habeo, me vitam sponte projicere, ne datam Deo meo fidem fallam*. Quæ locutus, in interiorem partem adium se recepit, ut funeris sui pompam adornaret. Europæam illi vestem olim dederat P. Cespedes, elegantiam pictam opere, nec arte minus, quam peregrinitate spectandam. Hanc promit (nam festis tantum diebus eam gestare consueverat), Japonicum superimponens pallium, quo nobilitas utitur. Ut procedentem eo vestitu conspexere Maria uxor, & Lucia filiarum maxima, lacrymas tenere non potuerunt. Fletum naturæ sensus exprimebat invitis; nam utraque colebat Christum, & lacrymas ipsæ suas damnabant. Plangentes increpuit graviter Didacus. *Siccine*, aiebat, *invidetis felicitati meæ? An non Christianis pro Christo mori dulce, ac decorum est?* Senserunt vera dici: cumque se paululum ex injusto dolore collegissent, vicem suam potius doluere, quod hæc mariti, illa patris beata forte indignæ censerentur. Didacus ab iis divulsus, & ad supplicium progressus, ut procul collem aspexit, ubi caput vitamque positurus erat, nudavit pedes reverentiæ causa. Ad eum cum pervenisset, procutuit in genua, oravit, ac cervicem explicuit, quam licet uno icu abscidit. Acta hæc Idibus Octobris.

139.
Fit reus christi-
anæ religio-
nis, pro qua
mortem eligit.

140.
Procedit ad
supplicium ele-
gantem vestitu.

141.
Capite
damnatur Bal-
thasar Fazaje-
monus in regno
Bungi.

Dies eadem in regno Bungenfî Didaci consobrinum abstulit, Balthasarem Fazajemonum, eademque de causa. Huic facta fuerat potestas a Rege optandæ pro arbitrio necis, aut vitæ iisdem conditionibus, quæ Didaco fuerant propositæ. Necem haud cunctatus elegit; statimque de concessio sibi divinitus beneficio certiores fecit Justam matrem suam, Luciam uxorem, & Teclam filiam. Tali nuncio longe aliter affectæ sunt istæ mulieres, atque aliæ solent, cum carissimos quosque debent amittere. Exilire gaudio conspectæ: mater quod filium, uxor quod virum, Tecla quod patrem habituræ martyrem essent. Lætitiâ unus ille

ille temperabat dolor, quod futura non essent necis ac triumphi sociæ. Continuo pelvim calida plenam uxor expedit, pedesque viri abluit. Mater pulcherrimum e vestiario amictum depromit. Postquam compositus ornatusque, velut ad festum diem peragendum, constitit, subeunt lictores, & quærunt, ubi ponere corporis exuvias malit, domi ne, an foris? Suadebant familiares, ut domi vellet: est enim hic in Japonia nobilibus capite damnatis honoratissimus moriendi locus. At Balthasar, referens Christum dominum in loco infami, atque inter facinorosos crucem sibi figi voluisse, locum elegit publicum, ubi vulgus reorum plecti solebat. Ecce autem, dum consanguineis & amicis supremum vale dicit, inexpectata objicitur mora. Balthasari filius erat quadrimulus, egregia forma, parentum voluptas unica, & familiæ spes. Abjecit se puer ad patris genua, eaque parvulus manibus arte constringens, orabat ne se comitem accipere gravaretur. Is eminebat in vultu ardor, ea pietas, & constantia, ut lictores attoniti, seque respectantes, a lacrymis non temperarent. Dicta in hunc quoque puerulum fuerat a rege sententia necis: sed ferale mandatum differebat centurio, ne patrem tristi nuncio gravius, quam lictor ferro vulneraret. Cum genua parentis pufio non omitteret, subridens ille (neque enim durius quidquam suspectabat): *Macte, ait, fili. Per me non stabit, quin voti compos fias. Mavis nempe, ut video, mecum in caelo esse, quam hic cum matre, & sorore.* Simul dari puero vestem ornatissimam iussit, ut eum consolaretur. Vestitus, comptus, hilaris dextræ se patris implicat, eumque passibus non æquis in plateam fontibus plectendis destinatam sequitur: futurus, non, ut plerique putabant, spectator tantum cruenta tragœdiæ, sed etiam actor. Balthasar plenam animi, & pietatis orationem habuit ad populum undique circumstantem. Non alio veritas ore, non alio ipsa religio loqui potuisset. Gemitus, clamor, fletus multitudinis dicentem exceperunt. Mox filiolum arte complexus, & suavissimè osculatus, eum monuit, ut siquidem mortis copia modo negaretur, Christianus saltem viveret, nec recusaret, siquando ita fors ferret, pro Christo mori. Quæ locutus, cervicem acinaci præbuit. Conjecti erant omnium oculi in puerum. Ille neque cruento carnificis ferro, neque deciso parentis capite, neque inundante circa truncum corpus sanguine territus, genua placide flectit, cerviculam nudat, ferrum, & necem excipit. Hæc religionis prodigia, hæc coelestis gratiæ de natura triumphantis miracula, quæ prioribus illis sæculis vidit Ecclesia, nunc Japonia feliciter renovabat.

Sed nullibi intra Japoniam crudelior acta tragœdia, quam in urbe olim imperii principe Meaci. Numerus actorum ingens, quinquaginta duo martyres. Neque viri duntaxat, sed feminae etiam, sed puellæ, & pueri; imo infantes nondum nati, & adhuc alvo materna clausi. Gubernator Meacensis Itacura Ingedonus, cum esset mitioris ingenii vir, & a suppliciis innocentium maxime abhorrens, hujus rei fiducia Christiani cœtus, & ritus peragebant suos fortasse liberius, quam tempora paterentur. Accusatus est a bonziis Ingedonus, quasi in abolendis religionibus peregrinis curam adhiberet nullam, incuriæque admonitus nomine Imperatoris. Ille, ne sua sibi lenitas exitio esset, præter omnium expectationem perquiri Christianos, & in vincula rapi jubet. Erat Meaci vicus (*Dei viam* vulgo appellabant), Christianis frequentibus habitatus. Ibi initio perquirendi facto, capti sunt uno die sex supra triginta omnino. Nemo fuit ex hoc numero, qui non mallet omnibus exui, quam rem, libertatem, & vitam jactura fidei redimere. Itaque in custodiam traditi fuerunt omnes: compilatæ eorum domus, bona fisco addicta. Post paulo libellos per compita affigit Gubernator, ne quis Christianos occultet, recipiatve. Non obsequentibus poenam capitalem proponit. Multi edicto perculsi confestim in avia nemora, in desertas insulas, in rupes, aut ferarum spelæa diffugerunt. Verum ex iis quidam opulentiores, cum magnam pecuniæ vim ethnicis credidissent, in urbem subinde adventabant clanculum, ut jus suum exigent. Debitores, ne solverent, artem excogitarunt, qua molestos exactores omnino perderent. Fingunt exar-

To. I.

D d 2

tam

142.
Eligit obtruncari in loco publico, exemplo Christi.

143.
Progredienti ad supplicium, se comitem addit filius parvulus.

144.
Balthasaris eximia fortitudo usque ad extremum.

145.
Pari constantia ipsum excipit ejus filius.

146.
Atrox persecutio contra Christianos concitatur Meaci.

147.
Ingravescit ob calumniam Christianis impositam.

148.
Capiuntur
Christiani sex-
aginta tres.
Octo moriun-
tur in carcere.

149.
Excellent vir-
tus, & mors
Andree cæci
cæci.

150.
Imperator om-
nes Meaci com-
prehensos com-
buri jubet.

151.
Senex quidam
medicus mori
cum aliis ma-
vult, quam su-
ga evadere.

152.
Addicuntur
incendio Chri-
stiani quinqu-
aginta duo.

tam a Christianis chartam, qua mina generalis incendii jactabantur, eamque in celeberrimo urbis loco affigunt. Facile persuasum est multitudini, auctores nefarii scripti fuisse Christianos, quasi proscriptionem suam vellent injectis facibus, & clade urbis ulcisci. Tota contra eos civitas, ut contra publicæ rei hostes capitales, exarsit. Faces addebant Bonzii triumphantes piorum in strage, totaque urbe instar furiarum volitantes, omnium animos incendebant. Adesse tempus, quo gens numinum contemptrix deleteretur: dari jam cuique facultatem, ut suam erga deos immortales pietatem probaret: exterminanda sacra Christianorum, exscindendas domos, nomen ipsum Christi de hominum memoria evellendum. His dictis incitata plebs perumpit domos, obvios quosque corripit. Paucis diebus Christiani sexaginta tres capti sunt, compactique in carcerem tam angustum, ut animam vix possent ducere. Brevi intra illas angustias ærumnis confecti perierunt octo: infantes primum duo bimuli, deinde alii sex ætate provectiores. Nullus tamen desiderium sui reliquit majus aut justius, quam Andreas quidam cæcus, qui in divinis mysteriis aut percipiendis, aut populo explicandis tantum videbat, ut non alius magis. Sodalitio dux & præfectus a nostris impositus, omnem coetum non exemplo minus, quam verbis regebat. Idem universam identidem viciniam oberrans, lucem evangelicam diffundebat, ethnicorum deliramenta confutabat. Hinc odium capitale Bonziorum, sed per diu irritum; tutis illum tegentibus latebris, semperque ad ejus custodiam excubante Christianorum charitate. Verum ubi sensit fieri diutius non posse, ut sine gravissimo piorum hospitem damno lateret, curavit se deducendum in frequentissimum urbis pontem, ubi dum stipem a prætereuntibus corrogat, agnitus, ad tribunal primo, deinde in carcerem raptatur. In illo carcere quamdiu versatus est, ludibrium, & jocus fuit sæci facinorosa, quæ pariter vineta tenebatur. Hic cadere miserum alapis, ille comam, & barbam vellere: alii paucillum panis, quod arcendæ morti dabatur, tollere. Quæ cum Andreas patientissime ferret, amissis brevi & exhaustis viribus, fame verberibusque contabuit XII. Cal. Octobris.

Diebus post hæc sexdecim interlapsis, Xogunus Imperator cum audivisset, multos Meaci fuisse comprehensos, qui spretis regiis edictis Christum colere pergerent, immani elatus iracundia, cunctos, quicumque demum, & quamlibet multi forent, uno comburi rogo jubet. Priusquam hæc mandata Meacum perferrentur, Gubernator nativa quadam bonitate ductus, non paucos e vinculis emiserat. Unum tamen mori pro Christo gestientem, ut multum conaretur, eripere supplicio non potuit. Senex erat is canitie venerabilis, idemque medicus insignis, qui paulo ante filium ipsius Gubernatoris periculoso morbo liberaverat. Gubernator æquum ducens ei vitam asserere, cui vitam filii debebat, militibus innuit quid factu sit opus. Illi, ut erant jussi, separant medicum a reliquo victorum agmine, vincula eidem eximunt; remque meditati, quam dicis causa præciperent, dant illi nescio quid mandati in remotiore urbis regione obeundum, occasionem scilicet facilis & honestæ fugæ. Senex, perinde ac si non sentiret quid ageretur, obit mandata, & ad carcerem recurrit. Objurgatur quasi perperam fecerit imperata. Ire jubetur denuo. It, redit, & suum in carcere locum repetit. Irati milites: Ecquid nondum perspicias, inquit, Gubernatoris beneficium? Abi, si sapis, & salutis tuæ consule. Quibus ille: *Scio equidem quid velitis, sed fugam, & latebras nescio; neque hoc beneficium Gubernatoris, sed meum exitium est. Optime de me putabo meritum, si mori me cum aliis Christianis sinat.* Cum hæc palam jactaret, in pia victorum turba relinquitur. Gubernator igitur, accepto Imperatoris mandato, non stipites, ut mos ferebat, sed plurimas cruces paravit, ad quas cremandæ victimæ vincirentur: illud credo spectans, ut rem gratam Christi cultoribus faceret, quibus crucem cordi & venerationi esse norat. Educuntur ex umbra carceris in solem & campum duo & quinquaginta, partim viri puerique, partim matres & virgines. Movit commiserationem puellula octo tantum annos nata, quæ

ocu-

oculos pædore & situ carceris amiserat. Hæc ubi adesse lictores sensit, maternam vestem ambabus arripuit manibus, ne a matre disjungeretur, & optatam martyrii palmam falsâ militum pietate perderet. Plaustris novem ad locum, supplicii deportati fuerunt. Anteibat præco, ferale carmen identidem concinens: *Imperator istos cremari vivos jubet, quia vetitam Christi legem sequuntur.* Succlamabant martyres contenta voce: *Sic est, pro Christo morimur*: simulque læta acclamatione Jesu Christo plaudebant. Singulorum vultus, voces, ipse corporis totius habitus lætitiâ spirabat. Ut processerunt in plateam civitatis amplissimam, totius multitudinis, quæ confertissima ibi erat, admiratione, silentio, lacrymis excepti sunt. Nemo non ingemuit, cum infantes bimulos trimulosve, tanquam innocentes agnos inter materna brachia maectandos, aspiceret. Femina una (Tecla nomen erat) quinque circa se habebat filios in eodem curru, quorum natu maximus duodecim annos nondum confecerat. Sextum gerebat utero: & septimum addidisset, ut SS. Simphorosa & Felicitatis gloriam æquaret, nisi Gubernator primogenitum invitæ ac nolenti rapuisset, ne familia nobilis uno die tota concideret.

Ventum erat ad supplicii locum, ubi inter aggestos lignorum acervos erectæ conspiciebantur cruces. Statim e plaustris lati desilierunt omnes, & ad suam quisque crucem certatim accurrerunt. E transverso cujusque crucis ligno funes pendebant, quibus alligarentur. Bini ad truncos singulos alligati sunt, obverso invicem dorso: primo quidem, postremoque loco viri: in medio mulieres, & pueri. Mirabile spectaculum præbebant matres quinque, quæ parvulos liberos ulnis complexæ sustinebant. Tecla, de qua modo dictum, e quinque liberis quatuor vicinos habebat a dextro, & sinistro latere: filiolarum biennem ulnis amplectebatur: sextam prolem nondum natam continebat alvo. Rebus ita comparatis, inclinante in occasum sole, flamma est rogo subdita. Ut primum emicuit, Christiani circumfusi orare, & plangere: tortores ululare, martyres dulcissima Jesu & Mariæ nomina inclamare. Tecla, de qua modo dictum, e quinque liberis quatuor vicinos habebat a dextro, & sinistro latere: filiolarum biennem ulnis amplectebatur: sextam prolem nondum natam continebat alvo. Rebus ita comparatis, inclinante in occasum sole, flamma est rogo subdita. Ut primum emicuit, Christiani circumfusi orare, & plangere: tortores ululare, martyres dulcissima Jesu & Mariæ nomina inclamare. Sed paulatim vanescente atra nube, conspecti sunt oculis in cœlum erectis, & sereno vultu ignium undique invadentium vim excipere, nullo signo doloris edito, ac ne motis quidem corporibus; licet alligati leviter fuissent dedita opera, ut esset facilis erumpendi locus. Eadem in senibus constantia, eadem in pueris. In matribus vero plane admirabilis, quæ in summo cruciatu, dum vivæ torrebantur, de suis filiolarum unice videbantur anxie, immemores sui. Blandiebantur infantulis, ut eorum vagitus compercerent: lacrymas abstergebant, ac sudorem: suggeriebant identidem piam & brevem aliquam vocem, ut a sensu doloris teneras mentes avocarent. Audita est puella, cum matrem e mediis flammis appellaret: *Mater*, inquebat, *jam oculis plane capta sum.* Cui mater: *De oculis sollicita ne sis. Jesum cogita, Jesum appella. Hunc jam jam in cœlo visuræ sumus. Maectâ virtute meum corculum, & persta.* Iisdem ferme verbis se singuli invicem animabant, donec omnes vox, & vita defecit. Quem locum insisterant vivi, texerunt mortui. Reperta mater filiolarum tam arte sinu complexa, vix ut avelli corpusculum ex ejus brachiis potuerit. Pridie Nonas Octobres hunc triumphum egit beata martyrum cohors, in qua fuere duntaxat quatuor, qui alios habuissent ad Christum duces, & conscientiarum rectores, quam homines Societatis. Reliquias post dies septem (nam antea per excubias non licuit) Christiani avexerunt, & qua decebat veneratione condiderunt.

Meacensem interea Ecclesiam olim florentissimam pene ex toto profligavit atrox persecutio, quæ tot Christianorum sanguine adeo non est extincta, ut potius in dies singulos invalesceret. Attriti Neophyti, partim latebras captaverunt, partim, relictis domibus fortunisque, diffugerunt. Hæc reputanti Præposito Provinciali Matthæo de Couros visum, non amplius retinendos Meaci Patres Benedictum Fernandium, & Didacum Yuquium, qui ibi fuerant hætenus fructuose versati, sed alio traducendos, ubi utiliore navare operam possent

rei

153.
Ad rogam deportantur impositi novem plaustris.

154.
Omnium mira constantia, sed præsertim mulierum.

155.
Vivæ cremantur omnes, nullo edito doloris signo.

156.
Quæ voces audite sint e rogo, dum martyres torrebantur.

157.
Meacensis Ecclesia dispergitur, nostri alio traducuntur.

158.
Patrum labores in regno Voxuano, aliisque locis.

159.
Calumniæ in Societatem conficta.

160.
Novus extructur Omuræ carcer. Ejus forma describitur.

161.
In novum carcerem transferruntur Religiosi sexdecim, inter quos duo ex nostris.

162.
RES SINICÆ.
Indicantur antiqua dissidia inter Sinas, & Tartaros.

rei Christianæ. Fernandium igitur ire jubet Yedum, ad ipsam Imperatoris regiam; cum hoc tamen, ut per intervalla temporum Meacum recurreret ad fovendas Christianorum reliquias. Yuquium vero suppetias mittit Patribus Hieronymo de Angelis, & Didaco Carvallio jamdiu in regno Voxuano desudantibus. Opportunissimum his accidit tam strenui operarii subsidium. Non enim solum intra ejus regni terminos continebant sese, sed excurrabant etiam ad finitima Devense, & Aquitense, quæ perpetuo montium jugo discreta, nisi per maximas difficultates adiri non possunt. In istis autem excursionibus laborem vix credibilem exantlabant. Prærupta ibi sunt omnia, & confragosa sic, ut sæpe opus sit manibus genibusque obniti, ac reptare potius, quam ingredi, ut paululum proveharis: nisi tamen montium dorâ obtegant duratæ gelu nives, atque hæ in quosdam veluti gradus cavatæ inveniantur instar scalarum: quæ commodissima ratio est Japonicas illas alpes exsuperandi. Ad labores itinerum accedebat ille fortasse gravior occultandi sese: obsidentibus viarum omnes aditus exactoribus vestigalium, qui peregrinantium sarcinas curiosius excutiebant. Quocirca Patres, nunc mercatorum, nunc alterius generis habitu incedebant, ut dispersas huc illuc familias Christianorum inviserent. Pares molestias, pericula non minora pro religione incurrebant alii per Japoniam dispersi Patres. Itaque, etsi difficillima essent tempora, intra hujus anni spatium mille & octingentos ethnicos Christo per baptismum adjunxerunt: ut nihil dicam de Christianis multo pluribus, quos suppliciorum terrore percussos, nutantesque infide continuerunt. Inveni nihilominus, qui per idem tempus scriberent, ac latè vulgarent, otiari in Japonia homines Societatis metu victos, curam Christianæ rei nullam gerere. Quasi verò nihil inter metum, & prudentem moderationem interfit, nihil inter otium ignobile, & cautam agendi rationem, qua nostri abstinendum sibi putabant a clamore & strepitu, ne aperto legum contemptu Tyrannum gravius irritarent.

Aliter sane alii sentiebant, agebantque, beatæ mortis desiderio incitati. Gubernator itaque Nangasachienensis Conrocius, cum duos de novo comprehendisset religiosos, Alphonsum Mena, & Franciscum Morales, Ordinis Prædicatorum Sacerdotes egregios, videns augeri in dies religiosorum victorum numerum, his custodiendis novum horribilemque extruxit carcerem: de quo quia erit sæpe alibi facienda mentio, non otiosum puto erit formam ipsius breviter hoc loco describere. Positus fuit carcer in colle summo territorii Omurani, qui in mare prominens, ad omnem coeli plagam patebat, cunctis ventorum flatibus peraque objectus. Latus erat palmos sexdecim, longus quatuor & viginti: contextus autem, in morem cavæ aviariæ, quadratis, & cuspidatis in summo palis, modico eorum intervallo, ut nec vim frigoris hieme, nec radios calidissimi solis excluderent æstate. Carcerem circuibat via octonos lata palmos, quam duplex cingebat vallum, densis & præacutis compactum stipitibus, intextumque a superiori parte spinarum manipulis. Plurimi diu noctuque milites excubias agebant: erat namque illorum statio fixa ante ostium exterioris claustrii, cujus aditus multis cancellis pessulisque muniebatur. Huc è carcere Suzutano translati sunt VII. Idus Augusti quotquot in vinculis servabantur religiosi, numero sexdecim omnino, inter quos duo ex nostris, videlicet P. Carolus Spinula, & Frater Ambrosius Fernandez. Novum ac dirum ergastulum ut conspexere propius viri fortes, latis illud vocibus salutaverunt, & Psalmum *Letatus sum in his quæ dicta sunt mihi* jucundo cantu peregerunt. Quam deinde vivendi formulam sibi intra eas angustias in communi descriperint, quantoque usu patientiæ sese ad rogam, quo demum absumpti sunt, comparaverint, alibi narrandum erit.

Nunc e Japonia transgredimur in Sinam, ubi status rerum erat hoc tempore, non tam religioni, quam publicæ rei summe calamitosus. Sinam claudunt a septentrione Tartari, bellicosa gens, & nativis frigoribus, ac vastitate sterilibus plerumque soli, ad patientiam & labores instituta. Fertiles Sinarum agros in-

incurſaverant non ſemel Tartari, ipſumque imperium annis circiter centum obtinuerant. Pulſi poſtea, variſque attriti cladibus, pacem petere pacto tributo coacti fuerant. Vires Tartarorum experti Sinæ, non ſatis habuerant gentem barbaram, & armis prævalidam diſcludere ingenti muro ad limites utriuſque imperii ducto, quem decies centena militum millia cuſtodiebant; ſed eoſdem fatigare modis omnibus, & inſtar mancipiorum in officio continere ſtuderant. Verum ineunte ſæculo de quo ſcribimus, orto inter dynaſtas varios qui Tartariam partiebantur bello, unus, proſtigatis cæteris, eorum tetrarchias obtinuit ſolus; ex iſſque regnum conſtans tanto potentius, quanto minus diuſum, excuſſit denique Sinarum metum, collegit exercitum, murum illum ingentem ſuperavit, captiſque urbibus præcipuis provinciæ Leaotuniæ, aliis minoris momenti aut direptis, aut ferro flammaque exciſis, Sinarum Imperatorem vocari ſe juſſit. In hoc erant ſtatu res anno ſuperiore, Sextili menſe: cum Mandarinus, cui credita belli cura, dedit ad Imperatorem de re tota litteras, quas audire nec moleſtum, credo, nec alienum erit. „ Scianſius e tribunali Pimpu Pekinenſi hunc Imperatori libellum porrigit, monetque, Tartaros, perfracto muro limitaneo, in Leaotuniam provinciam irrupiſſe. Idem orat enixe Imperatorem, & obteſtatur, ut rem tanti momenti expendat, aperiat aliquando ararium, militem conſcribat, commeatum paret. Ne vero neſcias Imperator, quo res loco ſit, referam quæ ſcribunt ad me Mandarinum cuſtodes muri ſeptentrionalis. Narrant, indictum palam eſſe a Tartaris bellum, regem ſuum ab iſſdem Pekini regem appellatum. Narrant, commiſſo prælio, noſtros in fugam turpiter coniectos eſſe: duces duodequadraginta cecidiſſe: promiſcua multitudinem partim conciſam, partim captam: tres urbes a victoribus occupatas. His acceptis, convenimus præcipui hujus aulæ Mandarinum, de remedio conſulturi. Viſum eſt omnibus iratum cœlum, tamque nobis infeſtum, quam amicis hoſtibus: quod etiam recentia innuunt infortunia. Provinciam hanc Pekinenſem anno proxime ſuperiori nullus rigavit imber, incolis rei novitate damnoque attonitis. Vicinam provinciam horribilis inſaſit fames, ut humanis veſci carnibus multi coacti ſint. Nankinenſem talparum, ac murium inaudita multitudo populata eſt. Regiæ pars magna deſlagavit, igneo globo urbem pervolante, ac ſtragem tectis hominibusque afferente. Geminus ſol cœlum quodammodo in partes, & ſtudia gemina diſtraxit: omen triſte imperii dividendi. Ingreſſus palatium ſicarius principem regni hæredem ferro appetiit. Tu vero Mandarinum, qui voce altius ſublata parricidam conterruit, vinculis mandasti, quibus ut ſolveretur fruſtra laboratum a nobis eſt. Ex quo intelligere licet, te neque ſupplicum, neque innocentium ullam habere rationem. Eadem acerbitate preces Proregum, tributis immodicis provincias opprimi conquerentium, repudiaſti. Orantibus Mandarinis, ut prodires in publicum, ac more majorum populo juſ diceres, excuſaſti valetudinem, & ſupplices eorum libellos in ignem projeciſti. Domæſticos intra parietes concluſus, epulis, ſomno, genioque indulges, publicæ oblitus rei: neque modo in poſterum proſpicias nihil, verum etiam moneri rogarique non ſuſtines, & exitiali tuorum noſtrorumque periculorum ignorantia fueris. Hinc illæ clades, hinc funus imperii, quod videtur portendiſſe fluviuſ, dum parte illa quæ regiã alluit, non limpidus, ut ſolet, ſed infectis cruore aquis fluxit. Quæſo igitur, petoque, Imperator, moras ut omnes præcidas, ſuppleas exercitum, militibus ex arario ſtipendia numeres; neque præſentibus duntaxat occurras malis, ſed ingruentia propulſes. Sic ſcribebat ſummus rei bellicæ præfectus more Sinarum, qui antiquiſſimam in monendis ſuis regibus libertatem retinent. Sinicam rem gubernabat hoc tempore Vanlieus, Imperator e Taiminga familia tertius decimus: ineptus plane ad regnandum princeps, ut qui otio luxuque diffuens, umbraculis hortorum, & regiæ tenebris abditus, præterita, inſtantia, futura pari oblivione negligeret. Verum hiſ litteris e ſuo velut ſomno experrectus, reſpexit ſeſe aliquando, inertiam excuſſit, & ſexcenta armatorum millia contra Tar-

163.
Tartari Sinam
invadunt, & ur-
bes aliquot oc-
cupant.

164.
Litteræ Mandarini
rei bellicæ præfecti ad Im-
peratorem.

165.
Imperator exer-
citurum ingentem
educit contra
Tartaros.

166.
Fugatur, & in-
tra suam regiam
obsidetur.

Tartaros eduxit. Post ambigua quædam prælia, iusto demum ac decretorio certamine totis utrinque viribus dimicatum est. Eo prælio quinquaginta Sinarum millia desiderata perhibentur, in iisque flos ducum ac militum. Reliqui in fugam sunt dati, adeoque confternati, ut dictitarent, Sinas ab equis Tartarorum vorari. Victor spoliis ac præda potitus, promovet exercitum, urbes aliquot incendit, in Pekini conspectu castra ponit. Tum vero exterritus vehementer est Imperator. Homo nihili statim animum demittere, ac fugam indecoram circumspectare. Vix ab eo consilio deductus est, Mandarinis urbem imperii caput haud dubie expugnandam prædicantibus, si discederet, servandam, si maneret. Nam quod fugæ pretium, nisi ut conciderent civium animi, hostium contra invalescerent? Superesse in civitate ingentem exercitum, qui si non infringere Tartarorum conatus, morari certe posset, donec alia præsidia pararentur. At Principe dilapso, casuros omnium animos, & deditionem facturos. His rationibus mutavit sententiam Imperator, & omnia experiri prius statuit, quam regiam deserere.

167.
Redit in Sinam
P. Nicolaus Trigaltius cum le-
ta manu Socio-
rum.

Dum hostem Sinæ distinent, ac bellum utili perditis prope rebus mora trahunt, rediit in Sinense regnum P. Nicolaus Trigaltius, qui Romam ante sexennium venerat sociorum procurator. Molestissima usus navigatione, vix emerferat e pestilenti morbo, qui navem in nosocomium mutaverat. E sociis tamen sexdecim una vestis, quinque in undis sepeliverat, actum præclare secum putans, quod non plures ex eo numero amississet: nam sæpe accidit, eorum qui ex Europa in Indiam solverunt plerosque perire in itinere. Inter illos quinque fuit P. Paulus Cavalina Bononiensis, cujus memoriam nefas silentio tege-
re. Abhorrebat hic vehementer ab Indica missione, deterritus operis difficultate, simulque illectus amore patriæ, in qua mathematicæ scientiæ peritia florebat. Tamen ad Indiam se vocari divinitus sentiens, vicit repugnantem naturam, ut Deum vocantem sequeretur. Ipsa ejus mors quiddam habuit, unde hominis virtutem admirari liceat. Nam cum cerneret emori pestifera lue unum e sodalibus P. Terentium, suum pro illo caput obtulit, supplicavitque Numini, ut se magis tolleretur; minime recusans mori in ejus viri suffectus locum, cujus vitam fore sua utiliore putabat. Quas preces ex insigni charitate profectas Deo ratas habente, P. Terentius præter omnium spem convaluit, Cavalina sexto quam agrotare coeperat die obiit. Jam Trigaltii adventus dici vix potest, quam gratus Sinicæ Societati acciderit. Præter sacra munera bene multa, quæ ab urbe sancta deferebat, geminam facultatem obtinuerat a summo Pontifice Paulo V. religioni in Sina constituendæ necessariam. Prima erat, ut liceret deinceps divinum sacrificium operto capite celebrare. Apud Sinas enim rusticum, & inurbanum censetur detegere coram honestis hominibus caput quacunque causâ, offendebanturque vehementer initio indigenæ, cum a nostris Sacerdotibus peragi rem divinam aperto capite cernerent. Gentis consuetudini sapienter indulgendum putaverat Pontifex maximus. Tantum Sacerdotes admonebat, ut vulgari & plebejo divinis in mysteriis pileo ne uterentur; sed si quis esset elegantior, & ad sacrorum majestatem commendandam aptior, illum adhiberent. Altera facultas divinos codices spectabat, quos in Sinicum sermonem Pontifex converti permittebat: non in illum tamen familiarem, & omnibus notum, quo plebs utitur, sed in alium reconditiorem, & peculiarem litteratorum. Hæ duæ res apud Sinas, cum ad augendam sacrorum rituum venerationem, tum ad conciliandas eorum erga summum Pontificem voluntates plurimum valuerunt. Movit quoque illos religio Patrum, qui ne in ejusmodi quidem rebus, ut ipsi putabant, levioribus ausi essent communem Ecclesiæ consuetudinem injussu Romani Pontificis præterire. Tantam autem Christianorum ubique concordiam cum suo capite, tantam in cultu sacrorum æquabilitatem recte censebant, documentum esse religionis divinitus institutæ. Illud etiam perfectum a Trigaltio fuerat in Europa, ut nostri homines, qui degerent in imperio Sinensi, proprium haberent posthac Præsidem, qui vices Provincialis gereret, & a Provinciali Japoniæ

168.
Mors & elo-
gium P. Pauli
Cavalinæ.

169.
Privilegia quæ-
dam Romæ im-
petrata a P. Tri-
galtio.

170.
Quid de illis
senferint Chri-
stiani Sineses.

171.
Ex missione Si-
nica fit Vice-
provincia.

poniæ amplius non penderet. Quibus ductus fuerit rationibus Præpositus Generalis, ut hanc de novo Vice-provinciam decerneret, supervacaneum est inquirere. Illam puto fuisse potissimam, ut socii Sinenses gubernarentur commodius: tum ut in unum quasi corpus eo vinculo colligati, etiam animo conjunctiores inter se essent.

Præter hæc Trigaltius attulerat Roma litteras Cardinalis Bellarmini, ad omnes in communi Christianos Sinensis Ecclesiæ scriptas, quibus ad excitandam, privatim & publice pietatem nihil afferri opportunius poterat. Gratulabatur iis litteris Cardinalis nationi Sinicæ, quod tot aliis ingenii industriæque ornamentis, quibus toto orbo celebrabatur, maximum omnium superaddere aliquando cœpisset, veram religionem. Rem fecisse enimvero dignam se, nec modo utilissimam sibi, verum etiam summo Christianorum Pontifici jucundissimam quicunque Evangelicam suscepissent fidem. Viderent tamen, ne susceptam abjicerent ulla causa: darent immo operam, ut eam propagarent latius, & dignos tam sancta professione mores induerent. Postremo audirent in omnibus Patres Societatis Jesu, quorum opera ex errorum tenebris emerissent, & nova luce veritatis collustrati fuissent. Epistolam Patres cum fecissent Sinicam, plura ejus exempla per omnes Christianorum coetus volitarunt. Lecta ubique est omnium incredibili gaudio, & pari fructu. Fuere qui Bellarmino, de cujus amplissima dignitate non ignorabant, rescribendas publico nomine litteras officiosissimas putarent. Sed prohibiti fuerunt a nostris ea ratione, quod Sinensibus nefas, & capitale est quodlibet commercii genus habere cum exteris. Nullo tamen neque metu, neque periculo cohiberi potuit ne responderet vir ille clarissimus, cujus nomen sæpe in hac historia recurrit, doctor Paulus. Rescripsit autem in hæc verba: „ Veneror Cardinalis amplissime magnitudinem pietatis tuæ, quæ nec vastissimi oceani spatiis finitur, nec angustiores toto orbe terrarum limites habet. Epistolam tuam plures legimus, litterati præsertim, & Mandarinum, vehementerque gavisi sumus, esse tam procul virum sapientia, & dignitate clarissimum, qui nos nec externos reputet, nec ut alienos abjiciat, sed potius charitatis ulnis amplectatur, & sinu foveat. Utinam liceret nobis advolare isthuc, easque pro tua in nos tam benevola voluntate gratias coram reddere, quas habemus! Prohibiti cum simus legibus hinc pedem efferre, patere ut saltem scripto profiteamur, quam multum tibi debeamus, & quid optemus. Quod attinet ad sanctissimam Jesu Christi fidem, quæ huc ante paucos annos pervasit, ea quidem initio nec sectatores habuit illustres, nec potentes adversarios. At simul ac magna etiam ingenia, virique multarum litterarum, & præcipuè inter nos auctoritatis eam amplexi sunt; exarsit communis hostis invidia, & procellam ingentem movit, qua jactata sunt omnia, ac pene convulsa. Et jam præcones Evangelii Patres Societatis Jesu tota exulare Sina jussi fuerant. Sed quæ est Dei benignitas, evanuit paulo post turbo periculosus, resque est omnis fere composita. Patres quidem apud nos permanent sine molestia, nec vana ducimur spe, fore ut divina religio radices agat in Sina, & lætiores in posterum fructus efferat. Cæterum, Illustrissime Cardinalis, de firmitate constantiaque nostra ne sollicitus sis. Quæcunque accidunt, aderit nobis præsentis subsidio Deus, & oppressis opem feret. Scimus, primis quoque Ecclesiæ temporibus diras inhorruisse tempestates, concitante diabolo: & illud non semel audivimus Reparatoris nostri dictum, frumenti granum gelu nivibusque esse macerandum, ut frugem afferat. Jam ver appetit in hoc regno, & messem uberem promittit. Nos interim a te etiam atque etiam poscimus, Illustrissime Cardinalis, ut Deum O. M. nobis propitiare tuis precibus ne cesses: simul ut summo Pontifici totius Ecclesiæ pastori subinde in mentem revoces, tum hanc gregis sui partem remotissimam, tum hos præsertim Patres Societatis Jesu, magistros ac parentes nostros amantissimos, quibus secundum Deum debemus unice, quod, discussa superstitionum caligine, novam ac cœlestem lucem intueri liceat. De te porro illud optandum nobis, illud pro tuis immortalibus in Christianam rempublicam me-

To. I.

Ee

,, ritis

172.
Cardinalis Bellarmini litteræ ad Christianos Sinenses.

173.
Responsum doctoris Pauli ad epistolam Bellarmini.

” ritis sperandum est , ut eo tandem proveharis , unde in omnes mortales sanctissimæ leges , dogmata , beneficia , velut e cœlesti fonte , derivantur .” Hæc scribebat nobilissimus Mandarinus . Epistolam nostri , ne damno esset auctori suo , apud se occultam aliquandiu retinuerunt , nec Romam nisi aliquanto serius transmiserunt .

174.
RES MEXICANA.
NE.
Quorundam
Indorum mores
ultra Cinaloam.

175.
Quædam propria
illorum affectiones .

176.
Ad eos contendunt PP. Martinus de Bruges , & Jacobus Vanderzipen .

177.
Aibini legatum Hispanorum mactant , de Patrum cæde deliberant .

Vidimus quid rerum hoc anno Societas gesserit in Europa , quid in Africa , quid in Asia . Deinceps quæ ad Americam pertinent , paucis expediemus . In provincia Mexicana , ultra Cinaloam , longe lateque septentrionem versus fusæ inveniebantur nationes barbaræ , Cinipæ , Nebomenses , Guazaparii , Varohii , Aibini , alique plures populi , inaccessis montibus abditi , necdum ab hominibus Societatis nisi ex parte lustrati . Erant illi porro finitimis propter improbitatem invisî , Hispanis propter ferociam , & crudelitatem prope formidabiles . Evangelium averfabantur ut jugum intolerabile , ac libertatis humanæ hostem , neque quidquam pejus horrebant , quam certo in loco , ut erudirentur , consistere . Nullum Deo adhibebant cultum , nullis religionibus continebantur . In matrimoniis contrahendis nulla lex , imo tam propudiosa licentia , ut ejus mentionem aures ipsæ respuant . Unum ex naturæ bonitate reliquum decus habebant , ut senes venerarentur . Ob eam rem nihil prius curabant Evangelici præcones , quam ut seniores sibi devincerent , quibus averfis nihil proficiebatur . Percellebantur etiam , & cohorrescebant ad repentinos tonantis cœli fragores : vibratus autem ex improvîso fulguris splendor lucem aliquam , & Numinis notitiam animis caligantibus ingerebat . Quare hanc maxime Patres occasionem arripiebant divinæ majestatis , potentiæ , justitiæque apud eos prædicandæ . Idem tormenta bellica unice reformidabant : tum propter murmuris terrifici magnitudinem , tum quia eminus , & impune feriebantur . Nam si cominus pugnandum esset , hosti cuilibet non impares se fore confidebant sagittis suis frati , quas tam præsentî veneno solebant imbuiere , ut quamcunque corporis partem vulnerassent , oppetenda mors in vestigio esset . Idem illos metus plumbeas glandes , & certam mortem longe propelli sciebant . Hinc institutum , ut operarii Evangelici se præsidio aliquot militum munirent , cum regionis interiora penetrabant ; non sane ad inferendam perniciem barbaris , sed ad eos terrendos , continendosque , ne subeuntibus molesti essent . Verumtamen tali præsidio nequaquam sibi opus esse censuerunt duo strenui operarii , P. Martinus de Bruges , & P. Jacobus Vanderzipen . Deliberatum habentes genti miseræ quocunque suo periculo opem ferre , ad eam soli , alacresque profecti sunt hoc anno ineunte . P. Martinus ad remotissimam omnium , maximeque barbaram nationem penetravit , Nebomem dictam . P. Jacobus in viciniorem agro Cinaloensi , quæ Soyopa nuncupatur , concessit . Primus , ac molestissimus utriusque labor fuit linguam vernaculam cognoscere . Amplius enim triginta sex linguæ in eo tractu numerantur , omnes inter se dissimiles , & magnam partem confusæ , permixtæque . Alter æque molestus , & periculi plenus labor , aditum aliquem ad mentes Evangelii odio imbutas rimari . Testatur P. Martinus in suis ad Præpositum Generalem litteris anno proximo exaratis , sæpius in suum caput conjuratum fuisse , ac portenti simile putat , tandiu sibi tot inter monstra vitam incolumem stetisse . Nunc ædem sacram incendebant , nunc ejus turgurium evertiebant , modo cibaria , & siquid provîsum ad mortem arcendam , ac foris importatum esset , corrumpebant . Probra , & convicia nullo ducebantur in tot malis loco .

Placuit Hispanis viam aliquam foederis , & concordiæ cum hominibus tam inhumanis , at hominibus tamen , tentare . Igitur legatum de pace ad eos mittunt . Pacis mentio , & nomen ipsum efferavit Aibinos , gaudere bello , & sanguine faginari solitos . Corripiunt legatum , & contumeliis obrutum mortem multant : de Patribus pari supplicio afficiendis deliberant . Certior de nece legati , & nostrorum periculo factus Didacus de Urdaire cohortium Hispanorum

rum in Cinaloa præfectus, abjecta omni cunctatione, agmen expeditum in perduelles rapit. Confederat quintis castris in valle amplissima, & amœnissima, ubi pabulum equitatu, & omnes ad usum castrorum opportunitates affluebant. Huc ab hostibus in tempore dilapsi se receperunt Patres, eundemque jam tum elegerunt locum, ubi, reddita rebus pace, domicilium religionis, & Societatis constituerent. Crux est in proximo colle posita, velut acceptæ possessionis monumentum. Post brevem moram, & quietem copiis concessam, repetitur iter denuo, donec superatis summa celeritate gravissimis viarum incommodis, ad hostium fines perventum est. Continuo missi speculatores, qui eorum confilia, munitiones, arma explorarent. In edito colle castra posuerant, non vallo tantum & sepibus, ut barbaris mos, sed muro cæmentitio munita. Agebant excubias, arma diu noctuque fabricabant, certi omnes aut vincere, aut fortiter mori. Interim ingens Hispanis præsidium accessit, nec leve momentum ad victoriam. Gens in iis partibus frequens, & in plures divisa colonias, postquam exercitum Hispanorum Soyopam attingisse cognovit, ad eos cum duce suo, & lecta militum fortissimorum manu contendit, seque sociam periculi, laboris, & victoriæ sponte obtulit: an metu Hispanorum, quorum erat in oculis multitudo & robur, an odio Aibinorum, & Nebomenium, a quibus vexari graviter consueverat, incertum. Dux gentis, quem magnum Silibotarium vocabant, processit ad Hispanorum præfectum procero, & nudo corpore, coma ad talos usque promissa; nam hanc tondere, aut imminuere apud illos nefas. Arcum gestabat dextra, laevo ex humero pharetra dependebat. Exporrecta frons, vultus ad humanitatem non sine majestate compositus. Stabat militum Hispanorum, & Indorum circumfusa multitudo. Ipse, arcu, & pharetra humi depositis, adventus sui causam hora fere dimidia exposuit, tanta gravitate, facundia, & dignitate, ut omnes hærent admiratione defixi. Cum perorasset, suamque ac suorum vitam Hispanis obtulisset, amplissimæ vicissim gratiæ illi actæ sunt a præfecto: ipse cum suis in commilitium acceptus.

Hoc medio tempore reversi erant, quos missos in regionem supra dicebamus, exploratores. Hispanus dux, auditis quæ illi de hostibus perspexerant, quæque nunciabant, ordinem pugnae, modum, ac tempus præscripsit. Sub horam noctis tertiam præmittuntur tria militum millia ad occupandas angustas montium fauces, aditusque ac vias omnes, per quas hostibus aut effugium, aut in Hispanos erumpendi opportunitas pateret. Alii propugnacula, hostium obsidere jubentur ante quam illucesceret; pugna tamen abstinere, donec equitatus cum reliquis copiis adesset. Summa fide, industria, & silentio hæc peracta sunt. Hostis, ut illuxit, se prope captum prius, quam obsesum vidit. Non tamen despondit animum. Irruentes Hispanos, & ferro ignique sævientes sustinuit octo ipsis horis; majoremque victoriæ moram attulisset, nisi bellicorum tormentorum horribili fragore conturbatus fuisset. Neque vero de conditione ullis conditionibus fecit: sed amens, confternatus, perditus, quasi coelum rueret, aut terra sub pedibus dehisceret, fugere, projicere arma, in flammam, quæ castris injectæ fuerant, catervatim insilire. Oblata miseris nequidquam vita, & venia. Pauci duntaxat pueri, cum aliquot mulieribus, incendio erepti. Ex Hispanis non ita multi desiderati sunt. Tantum ordo pugnae, ac ducis solertia valuit! Cadentibus, aut vulneratis P. Martinus in acie prima, conspicuus adfuit: nam ejus socius P. Jacobus Vanderzipen in pristina statione restiterat Soyopæ. Fructus victoriæ latissime patuit. Hostium reliqua natio pacem ab Hispanis suppliciter petiit. Decem aliæ nationes, missis legatis, foedus, & amicitiam rogaverunt, dederuntque obsides adolescentes procerum filios, quos Societas christiana fide instituendos accepit. Postremo P. Martinus de Bruges præaltam crucem in eo loco, ubi hostium acies media steterat, erexit summa totius exercitus gratulatione. Sic ibi parta religioni, & Societati tranquillitas, saltem ad tempus. Accessit ad victoriæ cumulum ingens utilitas commercii cum illis gentibus instituti. Deprehensum enim est, totam

Te. 1.

Ec 2

Ne-

178
Hispanorum
dux movet contra
eos exerci-
tum.

179.
Natio quadam
frequens tran-
sit ad Hispanos
cum suo Princi-
pe.

180.
Hispani hostem
circumveniunt
silentio noctis.

181.
Barbarorum
confternatio, fu-
ga, & volunta-
rius interitus.

182.
Fructus victo-
riæ multiplex.

Nebomensem oram auri, argenti, margaritarum, & corallii esse feracissimam, quas opes Indi a natura sibi liberaliter oblatas negligebant. Narrat P. Martinus, e multis gemmis inde collectis unam tribus aureorum millibus æstimatam fuisse Mexici, multas ad Regem missas Matritum.

183.
RES PERUANÆ.
De duobus collegiis Limentis sodalitiis.

184.
Novum institutum ad excitandam inter famulos pietatem.

185.
Etiam ancillarum institutioni consultitur.

186.
Seminarium adolescentum Societas regendum suscipit.

187.
Respuit administrationem alterius domus.

188.
Conversio occulti cujusdam præstigiatoris.

Minore interea periculo, non minore fructu laborabant Patres provinciæ Peruanæ. Limæ, quod provinciæ caput est, in collegio Societatis sodalitiū vigeat e Sacerdotibus centum probatissimis, præfecto omnium Archiepiscopo. Imposuerant sibi ultro hanc legem sodales, ut quotidie per horam integram divina meditentur: diebusque item singulis certus sodalium numerus adiret publicum nosocomium, & ægrotis opem ac solatium afferret. Modestiam eorum, & in colendis religionis officiis assiduitatem mirari nemo satis poterat. Nostri sodalitatē eo moderabantur diligentius, quod probe norant pertinere ad rem publicam sacerdotalis ordinis pietatem: cum propter auctoritatem exempli, quæ in populo multum valet; tum quod ex hoc ordine Parochi, Concionatores, & sacrorum administrati petendi sunt. Aderat in eodem collegio laicorum alterum sodalitiū ex natu grandioribus conflatum, vigeatque tam secunda apud omnes fama, ut vulgo pietatis quoddam quasi gymnasium atque officina putaretur. Sodalium numerus ad capita fere nongenta, in quibus Archiepiscopus, Prætor, atque honestissimus quisque civitatis. Jam ergo ex duobus, quæ dixi, sodalitiis oblata occasio est rem alteram instituendi haud parum, ut usu compertum est, utilem. Viderant nostri diebus festis, cum sodales ad suos solennes coetus convenerant, famulorum ingentem numerum ante collegii fores otari. Affectati scilicet suos ad collegium heros, eosdem opperiebantur. His interea detinendis, & ad pietatem excitandis, visum Patribus mitti aliquos ex junioribus scholasticis, qui sermones pios cum illis fererent, agentque familiariter de rebus ad salutem animæ pertinentibus. Res ubi in mores induci cœpta, nemo non agnovit inventi utilitatem. Fatebantur passim nobiles, aliis jam uti se famulis, quam antea soliti essent, modestioribus, fidelioribus: rara inter illos jurgia esse, correctam ex magna parte licentiam vitæ, atque linguæ. Quanta demum approbatione acceptum fuerit novum istud consilium, indicio sit, quod eodem anno Nasca (oppidum est trecenta circiter millia passuum ab urbe Lima) vir locuples, sine liberis moriens, hæredem ex asse instituit Societatem: rogatus autem, cui potissimum ex pluribus Societatis domiciliis addictam hæreditatem vellet? Limentis, inquit: illi videlicet, ubi Patres turbam famulorum piis colloquiis morantur, & ad bene vivendum hortantur. Eodem tempore etiam ancillis provifum est, & inventa ratio, qua christiana vitæ præcepta condiscerent. Nam cum antea domesticis ministeriis ita occuparentur, ut vix spatium haberent assistendi per dies festos rei sacræ, certi constituti sunt dies, quibus deinceps in ædem curialem singulæ convenirent, denunciaturumque dominis ab Antifite, ut eas mitterent, pœna censurarum, nisi obsequerentur, proposita. Aderant in unaquaque æde aliqui ex nostris, tum ut summa doctrinæ christianæ capita explicarent, tum ut pietatem, & dignos christiana professione mores audientibus instillarent. Antea dixi, Limæ, ad excindendum radicitus idolorum cultum, condi cœpisse seminarium pro Caziquiorum filiis. Ædificio ad culmen perducto suus tandem hoc anno usus fuit. Collecti sunt in novum contubernium nobiles adolescentes ad triginta, ejusque seminarii administrationem Societas recepit. Sed non item adduci potuerunt nostri, ut regendam susciperent domum ad maleficorum custodiam destinatum, quæ Limæ pariter fuerat condita. Procuracionem difficilem, ac periculosam, quantumvis a Prorege sæpius oblatam, constantissime recusaverunt. Id modo unum admitti placuit, ut inclusis in ea domo viris feminisque amplius centum nunquam deessent de Societate cultores, quorum erudiendi voce, & ad pietatem informandi essent.

Ejusmodi maleficorum nondum excisa penitus natio erat in Peruvia. Delitescabant tamen toti in se conditi, & inquisitorum diligentiam falsebant.

Unus

Unus erat Coillii ab ipsis incunabilis diabolo consecratus, præstigiatorum in tota provincia facile princeps. Loci Parochus, e familia Dominicana Sacerdos, latere quidem exitialem in suo grege pestem sentiebat, sed nullis artibus detegere illam hæcenus, nedum evellere potuerat. Par nostrorum Coillum ab urbe Lima venit, ad spargendum divini verbi semen. Nec mora. Motus eorum concionibus sponte se prodidit homo perditus, & palam nefarias artes est execratus, lato ob revulsam labem Parocho, & nostris tanquam pro insigni beneficio gratias agente. Sed in hoc genere multo insignius quod P. Francisco Patinio accidit. Venerat e collegio Guamangensi in oppidum, cujus nomen iustis de causis litteræ tacent. Dum feminae confitenti aures præbet, nescio quibus indicibus sensit, pudore vinci miseram, ne atrociora quædam aperiret. Instare itaque ne quid per fraudem celaret, animum tergiversanti facere: *Quid adeo vereris?* inquebat: *quid metuis? Dic sodes libere quidquid est: nihil mihi magnopere mirandum accidet, vel si cum diabolo concubuisses.* Diceres instinctu plusquam humano locutum: hoc ipsum erat scilicet, quod mulier indicare cunctabatur. Jam ergo, velut in manifesto deprehensa, narrat, se puellam annorum haud amplius decem a malo dæmone fuisse vitiatam: exinde vero usque ad annum ætatis quadragesimum scelestam cum eo consuetudinem habuisse, nunquam tanto temporis intervallo poenitentia remediis usam. Atrociora porro, & immania esse, quæ hæcenus a tam duro marito pertulisset. Sæpe potiones forbere amarissimas, sæpe carbones deglutire coactam fuisse. Postremo accepisse ab eo feralem laqueum, & crebris sollicitationibus ad suspendium adigi. Unam esse rem, quam nequissimo insidiatori semper pernegasset, nempe ut Rosarium B. Virginis projiceret, aut ejus quotidianum usum semel intermitteret. Patinius, audita ejusmodi confessione, horrorem sinu premens, mulierem bono esse animo jubet. Multa subjicit ad excitandam pietatem idonea. Demum rite expiatam dimittit. Ecce autem postridie mane trepidus, & anhelans ad Patinium nuncius. Iret confessum, si qua pietas: feminae extrema patienti opem ferret. Advolavit Sacerdos. Defectam viribus, & metu pene exanimem reperit. Insilierat in eam minaci atque horribili specie diabolus, confessionem pridie factam exprobrans, & apprehensam faucibus præfocasset omnino, nisi ad clamorem accurrissent domestici, quorum adventu carnifex dilapsus est. His cognitis rebus Patinius, ratus haud dubie dæmonem ad divexandam feminam rediturum, particulam illi tribuit ex reliquiis B. P. Ignatii, quarum adversus infernos spiritus efficacissima virtus est. Eandem, ut Ignatii patrocinio tuta quiescat, ut adversi nihil reformidet, admonet. Haud vanam fuisse fiduciam, docuit eventus. Noctæ proxime consecuta, iterum se mulieri perspicuum, ac truculentum obtulit malus dæmon. Verum illa reliquias, quas dixi, intentans, & Jesum invocans, ringentem frustra, ac diras omnes imprecantem exegit, nec ejusmodi in posterum inolestis conflata est. Beneficio tam insigni, tam splendido, priusquam Peruvia excedamus, attendendum est aliud, quod eodem anno B. P. Ignatius præstitit Potosinis. Civitatem, regionemque circumpositam dira lues vexabat, multis perniciem, periculum omnibus, & metum creans. Cogitantibus in communi civibus, quoniam genere piaculorum calamitatem deprecarentur, venit in mentem Ignatii, cujus instabat dies anniversaria. Illa ergo die statuunt supplicationem publicam instituere, & sacrum ejus signum celebritate quam posset maxima circumferre. Vix fecerant, & vis morbi remisit in tantum, ut brevi civitas ab omni metu respiraverit. Obstricti beneficio tam subito conspicuoque Potosini, non commiserunt ut ingrati, aut parum memores viderentur. Prætor ad publicum consilium retulit, placeretne eligi inter urbis patronos Ignatium? Quæ relatio summo omnium assensu accepta cum fuisset, decretum ea de re factum est, atque in ipso Senatus consulto prolixè declaratum, civitatem ut id decerneret motam esse, tum veteri suo ac peculiari erga Beatum Patrem studio, tum quod intelligeret, ejus filii plurimum se debere. Illud etiam lege sancitum, diem Ignatii natalitium fore posthac Potosi, si ita Antistiti videretur, sacrum, &

189.
Mulier diabolo
mancipata
sacram confes-
sionem peragit.

190.
Vexatur a dæ-
mone, & S. I-
gnatii ope libe-
ratur.

191.
Aliud S. Ignatii
beneficium ergo
Potosinos.

192.
Qui ipsum eli-
gunt in patro-
num suæ civita-
tis.

so-

solemni omnium ordinum supplicatione celebrandum . Quæ tunc a Senatoribus juramento firmata, deinde Antistite approbante in mores transferunt .

193.
RES BRASILIÆ .
Inducitur in
morem suppli-
catio quadragin-
ta horarum .

194.
Divinæ præ-
destinationis e-
xemplum admi-
rabile .

195.
Fructuosa mis-
sio ad Æthiopes
servitio addi-
ctos .

196.
Expeditio Pa-
trum Antonii
de Aravio, &
Joannis Mendo-
zæ ad montem
Arabonem .

Dum hæc in Peruvia gerebantur, in tribus provinciæ Brasiliensis collegiis (non enim plura tunc habebat Societas) solemnibus quadraginta horarum comprecatio primum est instituta . Novam speciem religionis secundissima approbatione exceperunt coloni pariter & indigenæ, totoque triduo bachanalium ultimo, quamdiu exposita publice fuit divina hostia, ad eam adorandam magna frequentia confluerunt . Nec interim consueta Societatis ministeria remissius tractata . Quot fuerint hoc anno ex ethnicis baptizati, incertum . Toto triennio numerati infantium tria millia, & trecenti sexaginta sex: adulterum amplius mille ducenti . Fuit in his par conjugum plane fortunatum ac felix, de quo ita reperiebam . Venerant ambo ex interiori regione in pagum Neophytorum circa Soteropolim (Bahiam vulgo nominant), unaque venerant contribules eorum plurimi, ut ex idolorum cultoribus Christiani fierent . At comperto, grassari tunc in eo pago luem pestiferam pustularum, periculosum rati locum, abire continuo omnes statuerunt . Abierunt reipsa cæteri, & in suos montes quam longissime profugerunt . Soli manserunt quos dixi conjuges: mulier, quia statim pestilenti morbo correpta est: vir, quia uxorem tali loco ac tempore deserere non sustinuit . His ad Christum adducendis cum accurrisset celeriter noster Sacerdos, mirari coactus est docilitatem in barbaris inusitatam ac novam . Adeo illis nullo negotio ut Christum colerent persuasit . Postea quam visi Christianis institutionibus satis imbuti, parabat utrumque baptismo initiare . Dum secum de nomine singulis imponendo delibet: *Me quidem*, ait mulier, *Agnetem appellabis; nam hodie beatæ hujus Martyris dies anniversaria est* . Unde rudi feminæ scientia hujus rei fuisset indita, compertum est nunquam . Sed admirationem istam alia multo major excepit, cum eadem paulo post rite abluta, virum compellans: *Eja*, inquit, *mi sponse, migrandum est . Nos Christus dominus ad se vocat* . Qua vix emissa voce, quasi se ad quietem componeret, expiravit . Valebat tunc ut qui optime vir: tamen ipse etiam triduo post, eadem peste afflatus, decessit . Similia divinæ prædestinationis miracula haud raro occurrunt in missionibus Indicis, ubi quos Deus in vitam æternam præordinavit, eos necesse est præter communes providentiæ leges ad salutem pertrahi . Præter indigenas baptismo donatos, pretium haud leve factum est inter Æthiopes, quorum venales greges quotannis, ut in reliquis America oras, in Brasiliam ex Africa deportantur . Uti vulgo solent hoc genere servitorum Lusitani, tum ad urbana, tum ad rustica ministeria, eorumque familias ingentes alunt in officinis sacchari, quæ sunt circa Soteropolim frequentes . Prædia singula, & officinas circumierunt nostri, ut de moribus Æthiopum cognoscerent, & si quæ irrepressissent inter eos vitia, corrigerent . Irrepresserant sane plurima . Erant qui, violato nuptiali fœdere, pellicatum publicum exercebant . His persuasum, ut cum suis uxoribus in gratiam redirent, & iterum se Christiani matrimonii legibus subjicerent . Alii multo plures nullum usum sacrorum habebant, & mira rerum divinarum inscitia laborabant, solo nomine & baptismo Christiani . Supra novem millia numerati, qui annis tribus nunquam homologem fecerant . Isti omnes summam Christianæ institutionis, quanto opus erat, edocti sunt, & pro confessione auditi .

Longum esset exequi quæcunque in hoc genere gesta sunt intra Brasiliam . Nonnullas tamen præterire non possum expeditiones eodem anno susceptas, tum quod magni laboris, & parvi emolumenti fuerunt, tum quod aliqua præter communem morem acciderunt, aut voluptatem, aut utilitatem legentibus allatura . Prima expeditione perfuncti sunt PP. Antonius de Aravio, & Joannes Mendoza, e collegio Baiensi ad montem Arabonem profecti . Quem Arabonem vocant, mons est inaccessus, & maxime mediterraneus . Longissime distat Soteropoli . Patet in longum millia passuum circiter sex, paulo plus dimidio latus . Huc profugisse e maritimis locis dicebantur Christiani ethnique, liberi & ser-

& servi promiscua multitudine, ut quemque vel loci satias, vel cupiditas libertatis cepisset. Miseram & insanam turbam ut perquirerent, ac secum reducerent Patres, assumptis viâ comitibus admodum paucis, & inermibus, longum & periculosum iter ingressi sunt, processeruntque ad plures dies per saltus horridos, per inuias solitudines, ubi nullum humani cultus vestigium exstabat. Sape aperire ferro semitam inter dumos, sæpe rupes interpositas manibus pedibusque transcendere, postremo diram esuriam pati coacti sunt. Consumpta enim quam domo extulerant annona, nihil erat quo vescerentur, præter mel silvestre, cujus aliquam subinde copiam in exesibus arborum truncis inueniebant. Totos quatuor menses in itinere tam laborioso posuerunt. Cum denique ad Arabonem ventum est, ægrotabat graviter P. Aravius. Itaque solus processit cum reliquo comitatu Mendoza. Hunc ut longe prospexerunt incolæ, suspicati agmen esse Lusitanorum, & vim illaturos accedere, continuo ad arma conclamaverunt, amandatisque celeriter in vicinas silvas pueris ac feminis, tanquam adversus hostes armati prodierunt. Clamare ex adverso Mendoza, nihil esse quod metuerent: pacem se, non bellum populo optatissimo afferre. Cum nihil pacati responderetur, progreditur nihilominus audaci consilio solus, & se ultro barbaris in manus tradit. Perculit illos viri fiducia, comitas mitigavit. Quidam ut audierunt Societatis Sacerdotem esse, ad ejus statim pedes provoluti sunt, venerandi causa. Alii tamen nostri moris conscii, nequam aiebant hunc esse posse de Societate Jesu, qui tam longum iter sine socio ejusdem ordinis confecisset. Dum ambigitur, scrupulum & suspicionem exemit superveniens Aravius, illatus, ut ibi mos, reti, in quo ager decumbebat. Sic demum ambo perquam hospitaliter suscepti fuerunt. Collecta in illo monte erat multitudo hominum circiter quingentorum, ac tribus distributa pagis modico intervallo disjunctis. Moribus Christiani pariter ethnique vivebant iisdem, nempe corruptissimis. Connubia nec iis continebantur legibus, quas natura præsnivit. Quo quemque cupiditas egisset, passim ruebant ferarum ritu. Tamen meliorum exempla non deerant. Multum certe aberat ab ejusmodi intemperantia unius pagi princeps. Nondum Evangelii luce collustratus a malefactis cunctis abhorrebat, vitam integram divina ope agitabat. Pudicitiam colebat impense. Injurias neque cum facili posset ulcisceretur. Olim a Lusitano per fraudem captus, indignissime habitus, coactusque tanquam emptum mancipium in confectioe sacchari operam ponere, cum inde fuga evasisset, deterruit tribules suos ne vindictam injuriæ, uti constituerant, sumerent. Præter hæc, ingenita quadam misericordia egenos sublevabat, cavebatque ne quid contra quemquam injuste, aut inclementer admitteret. Consuetudinem impiam vescendi humanis carnibus e suo pago sustulerat. Quod si quos bello captos sciret a suis contribulibus in hunc usum servari, eos pretio redimebat. Addunt, præmonstratum illi fuisse per speciem adventum Patrum, hosque ut audiret fuisse præmonitum. Sed quidquid sit de hac re, vir ipso habitu naturæ bonus facile se docilem præbuit Patribus, hortantibusque ut Christianam fidem susciperet, divina impellente gratia, morem gessit. Plus negotii fuit subigere reliquos pagorum incolas. Sed his etiam denique persuasum est, non modo ut cultum Christi amplecterentur, verum etiam ut desererent locum inivium, & ad maritima demigrarent, imbuendi commodius inter Christianos religionibus Christianorum. Et jam profectiois diem indixerant. Sed ut mobilia sunt barbarorum ingenia, eo die pars major desiderati sunt, nec quamvis sollicitè perquisiti, usquam apparuerunt. Ducenti tantum secuti Patres, sedem in pago sancti Spiritus acceperunt prope Soteropolim.

Expediit altera æque difficilis suscepta est e collegio Januariensi ad Carifios, nationem barbarorum in extrema plaga Brasiliæ, qua adjacet Paraquariæ. Magno animo, & pari rei bene gerendæ spe iter istud arripuerunt PP. Joannes Fernandez, & Joannes de Almeida. Sed neque spei, neque labori Patrum respondit exitus: quodque gravissimum, impedimento fuerunt ii, quos auxilio

197.
Ut excepti sint
ab incolis ejus
loci.

198.
Suspicio contra
P. Mendozam,
quia sine socio.

199.
Mirabilis inno-
centia & probitas
cujusdam
ethnici.

200.
Patribus ducentos
se præbent
ex illis ducenti.

201.
Altera expedi-
tio Patrum Jo.
Fernandii, &
Jo. de Almeida
ad Carifios.

202.
Difficultates
oppositæ a Lu-
sitaniis, & qua-
re.

lio esse oportuit. Præfectus Januariensis Salvator Correa litteras & mandata præmiserat ad magistratus coloniarum, per quas erat transeundum, ut traherent Patres navi, & viatico juvarent sumptu Regis. Adeo nihil juverunt, ut imo omni ope resisterint, ne porro pergerent. Soliti nimirum ex Carisiis, contra jus fasque in servitum abductis, quæstum indignum, at ingentem facere, ægre ferebant pervadere illuc homines Societatis, quorum notissima erant per totam Americam studia in tuenda contra Europæorum injurias libertate Indorum. Perrexere nihilominus Patres liberalitate Antonii Vasconcellii, cujus accepti sunt oneraria, & in terram Carisiorum expositi. Huc ubi ventum est, audiunt occupatos secretis Lusitanorum nuntiis barbaros. Caverent sibi diligenter a duobus propediem adventuris Sacerdotibus: eorum congressum, & aspectum ipsum fugerent: homines esse indolis acerbissimæ, quorum si semel audissent vocem, imperium deinde, & impotentissimum dominatum essent futuri. Quæ per rude vulgus sparsa nonnullam initio moram piis Patrum conatibus fecerunt. At eorum multis experimentis perspecta charitas, & benignitas facile moram illam disjecit. Patres igitur in interiora regionis progressi, & a Carisiis ubique comiter accepti, multis hominum millibus persuaserunt, ut vellent nativos saltus relinquere, & secum in præfecturam Januariensem transmittere. Cum nihil deesset, præter navigandi facultatem, P. Fernandus ad Corream scripsit, sibi ut curaret majoris alvei navigia: neque enim tantam multitudinem, in qua feminae essent plures, & pueri, tuto lintribus, sive, ut ipsi loquuntur, Canois committi posse: præterea copiam cibariorum necessariam iidem navibus mitteret. Ad hæc postulata nihil responsi datum. Sive ille revera rescripserit nihil, sive, quod verius puto, fuerint litteræ interceptæ. Ita destituti omni humana ope Patres, discedere coacti sunt re infecta. Tamen non omnino inutilis expeditio fuit. Quamdiu inter Carisios versati sunt, multos omnium sexus ætatisque mortales Christianam legem docuerunt, multos in extremo vitæ discrimine constitutos baptismo consignaverunt. Totam autem gentem ita sibi devinxerunt, ut cum discedendum fuit, divelli ab ea sine acerbissimo sensu doloris non potuerint. Complorabant circum Carisii frequentes, manus tendebant, rogabant enixe Patres, ne se in tam tristi ac periculosa orbitate relinquerent. Siquidem remanendum sibi esset, saltem remanerent ipsi etiam, futuri apud se magistrorum, defensorum, parentum loco. Responsum est a Patribus, id in sua potestate non esse: rogandum provinciæ Præpositum, a cujus nutu penderent. Carisii ad Provinciale legationem miserunt: sed eorum votis obstitit operariorum paucitas, qua tunc Brasilia laborabat.

203.
Multis persuadent Patres, ut alio migrent, sed nullo effectu.

204.
Utilitas ejus expeditionis. Carisiorum benevolentia erga Patres.

205.
Aimures in certos pagos abducti a P. Dominico Monteiro.

206.
P. Franciscus & Lobatus Guaitacasios conciliat Lusitanis.

207.
Transit ad Tamujas, & tres juvenes a nece liberat.

Binam denique expeditionem peregerunt e collegio Pernambucensi PP. Franciscus Lobatus, & Dominicus Monteirus: ille ad Tamujas, & Guaitacasios, circa promontorium frigidum: hic ad Aimures in præfectura sancti Spiritus. Sed parvis laboribus longe dispar fuit eventus. Aimures proceritate corporum, ferocia, robore, & assidua armorum tractatione Lusitanis formidabiles, nec tam bello quam latrociniiis grassari solitos P. Monteirus ita demulsit, ut non modo pacem ex æquo & bono fecerint cum Lusitanis, verum etiam de abdicando nativo solo consenserint, ut in pagos Neophytorum transirent. Jam transierant magno numero, jam de rebus fidei instituebantur. Cum subito causati difficultatem annonæ, qua in novis sedibus premebantur, ex magna parte dilapsi sunt, & pacem nuper in vitam foede violaverunt. Contra P. Lobatus Guaitacasios ita pacavit, ut nunquam deinceps Lusitanis infesti fuerint. Quod tamen optabat præterea, ut in pagos Neophytorum demigrarent, id nunc obtinere nullo modo potuit. Hac itaque intermissa tantisper cura, transit ad Tamujas proximos. Pauci numero erant Tamujæ, reliquæ belli cum Lusitanis infeliciter gesti; sed animo præferoces, & adhuc indomiti. Inter abdita montium se continebant, ut parvis prope esset laboris illos invenire, ac vincere. Prohibant tamen interdum e suis latibulis armati, & maritimam concursantes oram, prædas hominum, & jumentorum agebant. Hoc infami latrocinio tres nuper interceperant ju-

juvenes gente Guaitacasios, eosque saginabant laute, quippe infandis epulis destinatos. Rei certior factus Lobatus, præire jubet ad capita nationis nuncios adventus sui, atque hæc referre: Esse sibi quæ cum illis communicata velit: rebus autem suis optime consulturos Tamujas, si in colloquium venerint, & captivos juvenes secum adduxerint. Mensæ illi integrum deliberarunt quid factum esset opus. Eo evoluta, ecce tibi ad locum, ubi Sacerdos confederat, agmen barbarorum. Aderant tres infelices victimæ: de quibus Lobatus dicens, incipiens, docuit quantum accersituri in se malum essent Tamujæ, nisi juvenes redhiberent Guaitacasios. Hos jam Lusitanorum amicos & foederatos esse, nec dubitandum quin eosdem in sociale bellum trahant, & conjunctis viribus prædam injustam repetant. Movit oratio barbaros usque adeo, ut non modo restituentem prædam Guaitacasios, verum etiam pacem rogandos censuerint Lusitanos. Dimissi ergo sunt juvenes. Pax cum Lusitanis, Lobato ipso sequestro, sancita. Neque id satis. Illecti Tamujæ benignitate Lobati, & suasionibus victi, ejus arbitrio se totos permiserunt. Nec multo post, eodem auctore ac duce, in pagum S. Petri, quem ante duos annos nostri condiderant sex millia passuum, ab arce promontorii frigidi, cum suis liberis & conjugibus transmigraverunt, ubi erudiri cœpti, paulatim ad Christi fidem traducti sunt, Ejusmodi transitionum magna erat utilitas, non in Brasilia solum, sed in tota late America. Nam præter quam quod difficile institui poterant barbari, quamdiu per ferarum spelæa dispersi habitabant; homines ob licentiam vitæ feris quam simillimi prius docendi erant vitæ humanæ instituta, deinde religione imbuendi: prius, ut ita dicam, homines formandi, deinde Christiani. Quare nihil prius curabant homines Societatis, quam ut eos in certa ac tuta loca contraherent, atque is primus putabatur barbarorum gradus ad fidem.

208.
Pacem sancit
inter Tamujas
& Lusitanos,
illosque pertra-
hit in pagum
S. Petri.

209.
Cur nostri bar-
baros e suis la-
tebris in certos
pagos traduce-
rent.

